




Quare cum præcipue hoc quoque operæ pretium sit cognoscere; tamen, quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella totam eius imaginem amplectar.

L. A. FLORVS,
in proem. Epit. Rer. Rom.

PRAEFATIO.

Hanc Institutionum Iuris Hungarici Privati Epitomen, annis superioribus horis a munere meo subcisivis elucubratam, in pluteis meis sive-ram delitescere; cum quidam amicorum, forte eius copiam nacti, impensius mihi auctores fuere, ut eandem in gratiam iurisprudentiae domesticæ tironum, nullo hucadusque systematico compendio existente, typis publicis exscribendam curarem; his igitur qualibuscunque amicorum consiliis inductus, isthoc Institutionum iuris hungarici Breviarium pluteos meos excedere, et in publicam prodire lucem passus sum.

Commentationem hanc, usitata methodo tres in libros dividendam censui; in ipsis vero pertractandis argumentis præscriptum B. Decreto Aul. ddo. Viennæ 16. Ianuarii 1778: Nro. 6434. systema, quibusdam tamen, prout compendiaria instituti m-ratio deprecere videbatur, mutati^{et} a^s,



5 fl. 30 kr 38^o
 1840
 1814

 = 26

1840 Septem-
 1814 11

 = 26

Joannis Forinyák.

Alberti Forinyák.

Bela Balas könyvtára
Marionis Joanni Hegy
 SB 16220

EPITOME
 INSTITVTIONVM
IVRIS HUNGARICI
 PRIVATI.

Dr. Balas Bela
 könyvtára.



ALLAMI FŐISKOLA
 7140.669
 KÖNYVTÁR

NEPRONYI KÖZPONTI
 ADHATÓ
 ELI
 2003

B V D A E,
 TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS HUNGARICAE.
 1819.

a me omni cum accuratione observatum est.

E. definitionibus, quas iuxta spiritum legum domesticarum prodideram, quae mihi prono fluere alveo videbantur, methodo mathematica, illico corollariorum instar adnotanda iudicavi.

Iuris Naturae, Civilis Romani, et Ecclesiastici cognitionem non perfunctoriam supponere in iis libuit, qui animum ad iurisprudentiam hanc patriam fructuose condiscendam adiecissent; argumenta vero Iuris publici Hungarici, tanquam ad institutum hoc haudquaquam pertinentia, vel prorsus praetereunda, vel rerum nexu ita postulante, leviter admodum attingenda putavi.

Denique intermisso omni eruditionis adparatu, unice Candidatorum iuris progressibus intentus, plana, et non studiose quaesita dicendi ratione me has primas iurisprudentiae patriae lineas duxisse, profiteor.

SYNO.

SYNOPSIS DOCTRINAE.

PROOEMIUM.

LIBER I.

DE PERSONIS, EARVMQVE IVRIBVS
PRIVATIS.

| | Pag. |
|---|------|
| CAPVT I. De notionibus, et iuribus personarum generalibus - - - - - | 1 |
| CAPVT II. De Nobilibus - - - - - | 9 |
| CAPVT III. De Personis Ecclesiasticis - - - - - | 20 |
| CAPVT IV. De Proceribus Regni - - - - - | 25 |
| CAPVT V. De Civitatibus Liberis, Regisque - - - - - | 27 |
| CAPVT VI. De Districtibus - - - - - | 34 |
| CAPVT VII. De Libertinis - - - - - | 41 |
| CAPVT VIII. De Potestate Patria - - - - - | 44 |
| CAPVT IX. De Matrimonio - - - - - | 48 |
| CAPVT X. De Legitimatione, et Adoptione - - - - - | 53 |
| CAPVT XI. De modis patriam potestatem solvendi - - - - - | 56 |
| CAPVT XII. De Tutela, et Curatela - - - - - | 57 |
| CAPVT XIII. De Potestate Dominica - - - - - | 69 |
| CAPVT XIV. De Fisco Regio - - - - - | 84 |

LIBER II.

DE REBVS, EARVMQVE IVRIBVS.

| | |
|---|----|
| CAPVT I. De Rebus generatim, et earum Classibus - - - - - | 89 |
|---|----|

SECTIO I.

DE IVRE IN RE.

| | |
|--|----|
| CAPVT II. De Dominio in genere, ejusque acquirendi modis naturalibus - - - - - | 91 |
| CAPVT III. De Donationibus, praecipue Publicis - - - - - | 98 |

CA.

VI

| | Pag. |
|---|------|
| CAPVT IV. De Statutione - - - - | 106 |
| CAPVT V. De Contradictione - - - - | 111 |
| CAPVT VI. De Restatutione - - - - | 116 |
| CAPVT VII. De Aequalitate, et inaequalitate Iuris - - - - | 117 |
| CAPVT VIII. De Quartalio, Iure Capillari, et Viduali; Dote item, Coacquisitione, et alla- tura uxorea - - - - | 122 |
| CAPVT IX. De Iuribus regalibus minoribus - | 133 |
| CAPVT X. De Testamentis - - - - | 150 |
| CAPVT XI. De Successione ab intestato - | 159 |
| CAPVT XII. De Successione Fidecommissaria | 166 |
| CAPVT XIII. De Lucro, et Damno fratrum in- divisorum - - - - | 168 |
| CAPVT XIV. De Divisione - - - - | 171 |
| CAPVT XV. De Rectificatione divisionis, et no- va divisione - - - - | 173 |
| CAPVT XVI. De Proportione - - - - | 176 |
| CAPVT XVII. De Metis - - - - | 177 |
| CAPVT XVIII. De Successione Fisci - - - - | 182 |
| CAPVT XIX. De Iure Fisci circa Bona Coronalia | 187 |
| CAPVT XX. De Praescriptione - - - - | 189 |

S E C T I O II.

DE IVRE AD REM EX FACTIS LICITIS.

| | |
|---|-----|
| CAPVT XXI. De Conventione in genere - | 193 |
| CAPVT XXII. De Cambio - - - - | 195 |
| CAPVT XXIII. De Emptione, et Venditione | 196 |
| CAPVT XXIV. De Fassionibus perennalibus | 197 |
| CAPVT XXV. De Pignoribus - - - - | 202 |
| CAPVT XXVI. De Inscriptionibus - - - - | 210 |
| CAPVT XXVII. De Locato, Conducto, et Com- modato - - - - | 212 |
| CAPVT XXVIII. De Deposito, et Sequestro | 214 |
| CAPVT XXIX. De Debitis - - - - | 218 |
| CAPVT XXX. De Fideiussione - - - - | 236 |
| CAPVT XXXI. De Transactione - - - - | 238 |
| CAPVT XXXII. De Modis obligationes tollendi | 240 |

CA-

VII

Pag.

S E C T I O III.

DE IVRE AD REM EX FACTIS ILLICITIS.

| | |
|---|-----|
| CAPVT XXXIII. De Delicto, et Iniuria in ge- nere - - - - | 241 |
| CAPVT XXXIV. De Maiori Potentia - - - - | 242 |
| CAPVT XXXV. De minori Potentia, seu Vio- lencia - - - - | 246 |
| CAPVT XXXVI. De Impensione - - - - | 251 |
| CAPVT XXXVII. De Larva - - - - | 254 |
| CAPVT XXXVIII. De Proditione fraterni san- gvinis - - - - | 255 |
| CAPVT XXXIX. De Delictis circa Documenta Litteraria committi solitis - - - - | 256 |
| CAPVT XL. De Damnis - - - - | 262 |
| CAPVT XLI. De Dehonestatione - - - - | 270 |

L I B E R III.

D E A C T I O N I B V S.

S E C T I O P R I M A.

DE IURISDICTIONE, ET PERSONIS
IUDICIARIIS.

| | |
|---|-----|
| CAPVT I. De Iurisdictione, et Foro competente | 273 |
| CAPVT II. De Iudice - - - - | 278 |
| CAPVT III. De Actore - - - - | 279 |
| CAPVT IV. De Intatto - - - - | 280 |
| CAPVT V. De Ingerente - - - - | 281 |
| CAPVT VI. De Evictore - - - - | 282 |
| CAPVT VII. De Plenipotentiaro - - - - | 284 |
| CAPVT VIII. De Advocato - - - - | 286 |

S E C T I O S E C V N D A.

D E A C T I B V S I U D I C I A L I B V S.

| | |
|---|-----|
| CAPVT IX. De Admonitione, Compromisso, et Processu in genere - - - - | 290 |
|---|-----|

CA-

| | Pag. |
|---|------|
| CAPVT X. De Actione, et Citatione - - | 292 |
| CAPVT XI. De Levata, Comparitione, et Contumacia - - - - - | 296 |
| CAPVT XII. De Serialitate, et extraserialitate Causarum - - - - - | 299 |
| CAPVT XIII. De Exceptionibus - - - - | 300 |
| CAPVT XIV. De Dilationibus, Prorogationibus, et Feriis - - - - - | 302 |
| CAPVT XV. De Litis Contestatione - - - | 306 |
| CAPVT XVI. De Probatione in genere, de Firma item, Rumore, ac Praesumptione - - | 308 |
| CAPVT XVII. De Testibus, et Oculata revisione | 310 |
| CAPVT XVIII. De Instrumentis litterariis - | 313 |
| CAPVT XIX. De Iuramento - - - - - | 317 |
| CAPVT XX. De Sententia, Executione, et Aestimatione - - - - - | 320 |

SECTIO TERTIA.

DE REMEDIIS IVRIDICIS.

| | |
|--|-----|
| CAPVT XXI. De Depositione Causae - - | 324 |
| CAPVT XXII. De Revocatione Procuratoris | 325 |
| CAPVT XXIII. De Prohibita - - - - - | 328 |
| CAPVT XXIV. De Appellata - - - - - | 329 |
| CAPVT XXV. De Oppositione - - - - - | 332 |
| CAPVT XXVI. De Repulsione - - - - - | 334 |
| CAPVT XXVII. De Novo Iudicio - - - - | 336 |
| CAPVT XXVIII. De Birsagiis - - - - - | 338 |
| CAPVT XXIX. De Mandatis Iudicialiis, Instantia, ac Commissione Neoacquistica | 342 |

PRO-

PROOEMIUM.

§. 1.

A.) NOTIO IVRIS HVNGARICI.

Ius hungaricum *obiective* spectatum est legum, ac consuetudinum in Hungaria vigentium complexus; *subiective* est habitus leges atque consuetudines hungaricas cognoscendi, et ad casus obvenientes recte applicandi.

§. 2.

Ius hungaricum est *theoreticum* vel *practicum*; *scriptum* quod Regis, et Statuum positiva voluntate, et consensu in Comitibus
fer-

fertur, suoque modo publicatur, vel *non scriptum*, usu, ac continua observantia invalescens; *publicum* vel *privatum*, utrumque vel *ecclesiasticum* vel *civile*; aliud *commune* vel *particulare*.

SCHOL. Iuris ac variarum eius divisionum generales notiones, atque definitiones ex iurisprudentia naturali repetendae sunt. MART. *Pos. de Lege nat. Cap. VI.*

§. 3.

B.) FONTES IVRIS HVNGARICI.

I. *Lex* est propositio obligationem enuncians.

SCHOL. Legum effectus *obligatio* est, quae cunctos regnicolas, peregrinos, atque ipsum Principem nostrum manet. — 2-ae: 5.

SCHOL. Leges hungaricae publicis in Comitibus communi Principis legitimi, ac quatuor regni Statuum consensu, atque auctoritate perferri assolent; quarum quaelibet iusta, clara, possibilis, adiunctis adcommoda, atque Regni systemati, legibusque fundamentalibus non adversa sit, oportet. *Prol. tit. 6. §. 12.*

§. 5.

§. 4.

II. *Consuetudo* est diuturnis populi moribus introducta actionum norma.

SCHOL. Ad stabiliendam consuetudinem actus liberi, frequentati, publici, ac manifesti, una, eademque norma per populum stricte sumtum, h. e. per nobilitatem, partem legislativae potestatis capacem, positi requiruntur. *Prol. tit. 10. §. 1.*

§. 5.

Consuetudo alia est *generalis*, vel *particularis*; alia *iudicialis* vel *extraiudicialis*, et quaelibet harum *certa*, vel *incerta*. *Generalis* rite inducta eiusdem est roboris, ac potestatis, cuius *lex* (a); *particularis* vim interpretativam tantum, aut derogativam nanciscitur (b).

§. 6.

III. *Privilegium* est singulare cuiuspiam collatum beneficium (c).

SCHOL.

(a) *Prol. tit. 10.* (b) *Prol. tit. 11.* (c) 2-ae: 7.

Schol. Privilegia in Hungaria unice per Reges legitime coronatos, et actu regnantes conferri queunt; atque virtutibus, ac meritis, pro basi, et fundamento habitis, inniti debent. 1-ae: 3. 4. 2-ae: 6. 7. 9. 11. 12. 1741: 4. §. 5. 1791: 3.

§. 7.

Privilegium vel est *personale*, et hoc vel stricte personale, vel gentilitium, vel moraliter personale, vel *reale*; praeter vel *contra legem*; *mere gratuitum* vel *onerosum*; *in usu*, vel *extra usum positum*, atque hoc vel *obsoletum* est, quod nec confirmatione accedente convalescit (a), vel *non obsoletum*, quod iure postliminii, accedente confirmatione gaudet (b).

§. 8.

Solemnitates, quibus privilegium omne instructum sit, oportet, aliae *internae*, ad intrinsecum eiusdem valorem, aliae *externae*, ad stilum, formam, expeditionemque pertinentes, sunt.

§. 9.

(a) 1-ae: 37. §. 5. 1622: 17. 1649: 45. (b) 1641: 10. 1751: 3.

§. 9.

Illae in eo positae habentur, ut privilegium imprimis et interna et externa veritate gaudeat, nec iuri divino positivo, nec iustis aliorum iuribus, nec fundamentalibus Regni legibus repugnet ac adversetur; item cui, quid conceditur, clare expressum contineat, atque ex propria Regis scientia, et auctoritate profluat, promanetque (a)

§. 10.

Hae requirunt, ut privilegium ex Cancellaria R. H. A. (b) modo et stilo recepto expediatur (c); nomina personarum, rerumque claris expressa characteribus, ut et clausulam: *salvo iure alieno complectatur* (d); omnis ratio, littura, correctio, innovatio in nominibus substantialibus praesertim exulet; datum quoad locum, tempus, rite expressum (e), prout et subscriptio, ac sigillum Regis e maioribus (f) accedat; atque more
an-

(a) 2-ae: 9. 16. (b) 1563: 35. 1567: 40. 1608: 9. a. cor. (c) 1741: 19. (d) 2-ae: 9. §. 2. (e) 2-ae: 12. (f) 1546: 15. §. 3.

antiquissimo protocollo regio inseratur, solemniterque publicetur (a).

Schol. Privilegium ius beneficio sibi tributo utendi impetranti conciliat; estque aptissimum, ac pene unicum iura radicalia probandi medium.

§. 11.

Abusus, non usus, crimen laesae Maiestatis, aut nota infidelitatis, invalidatio, renunciatio, revocatio Principis, lex contraria generalis (b), evolutum tempus in temporalibus, in realibus interitus rei etc. sunt modi, quibus privilegia omnem vim suam perdunt, atque amittunt.

§. 12.

• IV. *Decisio Curiae Regiae* est supremorum regni tribunalium Sententia legitime lata, realique executione roborata, quarum plures in similibus causis saepius, atque iterum perlatae *praeiudicium Curiae Regiae* constituunt.

SCHOL.

(a) 2-ae: 12. 1630: 30. (b) 2-ae: 12.

• Schol. Decisiones Curiae Regiae litigantibus ius dicunt, et ad consuetudines iudicarias comprobandas sunt medium maxime adcommodum; atque in defectu legis non tantum pedaneis iudicibus, verum ipsi Curiae Regiae normam in similibus casibus pari modo iudicandi statuunt. (2-ae: 6. §. 11.

§. 13.

V. *Statutum* est actionum regula per particularem quampiam Communitatem pro suis negotiis constituta (a).

Schol. 1. Quo Communitas statuta condere possit, sui sit iuris, nec quidquam, quod publicis Regni legibus, aut consuetudinibus, vel iustis aliorum iuribus adversetur, constituat, est necessum; praemissa prudenti, ac matura deliberatione, votorum unanimitate, aut saltem pluralitate concludente. 3-ae: 2. §. 2. 5. 7. 8.

Schol. 2. Statutis omnes in territorio domiciliati, eique iurisdictioni subiecti; item res de territorio Communitatis immobiles, atque dirimendae controversiae subsunt.

§. 14.

(a) 3-ae: 2.

C). SVBSIDIA IVRIS HVNGARICI.

Horum nomine auxiliares scientiae, cum iurisprudentia hungarica arctionem nexum habentes, veniunt; ad quae praeter rectam, solidamque Philosophiam, Ius Civile Romanum (a), Ius Ecclesiasticum, (b) Notitia Antiquitatum Regni, Historia tam iuris, quam civilis Hungariae, Diplomatica, Numismatica, Heraldica, Statistica et plura alia referuntur.

 INSTI.

(a) 1715: 27. (b) 2-ae: 6.

 INSTITVTIONVM
 IVRIS HVNGARICI
 LIBER I.
 DE PERSONIS, EARVMQVE
 IVRIBVS PRIVATIS.

 CAPVT I.

 DE NOTIONIBVS ET IVRIBVS PER-
 SONARVM GENERALIBVS.

§. 1.

• Homini vel a natura qualitates insunt, vel tales qua civi competunt; atque hinc status hominis *naturalis* est, vel *civilis*. Varias sunt personarum ratione statuum divisiones.

§. 2.

A.) *Ratione status naturalis:*

I. *Conceptae, natae, posthumae* (a).
 Conceptae in odiosis pro non existentibus,
 in

 (a) 2-ae: 62.

A

in favorabilibus autem pro natis habentur; matri quoque gravidæ quæpiam conciliant beneficia. Natae ex iusto matrimonio cuncta vi status et conditionis sibi convenientia iura sortiuntur. Postumae iisdem cum natis utuntur iuribus.

§. 3.

II. *Mares, foeminae.* Diversitatis iurium harum personarum duplex est fundamentum: imbecillitas sexui foemineo conata, et conservatio familiae. Vi illius foeminae, donec nubant, subsunt tutelae (a), a tutela gerenda, excepta matre relate ad filium, excluduntur (b); dum mares superstites sunt, a litterarum et documentorum familiae conservatione (c), atque ab omnibus publicis functionibus, officiis et dignitatibus arcentur (d). Vi huius proles conditionem patris sequuntur (e); unde soboles ex matre nobili, patre ignobili progenita, ignobilis erit, excepto unico casu praefectionis; atque foeminae ad Successionem bonorum nobilem in regula non admittuntur, tum quod bona in Hungaria virtute militari et obtineantur, et, obligatione insurgendi cum iisdem copulata, conserventur (f), tum quod foeminae sint finis familiae.

§. 4.

- (a) 1-ae: 112. (b) 1-ae: 91. 112. 1715: 68.
 (c) 1-ae: 42. (d) 1662: 53. 1741: 63. §. 7.
 (e) 1-ae: 7. (f) 1-ae: 18.

§. 4.

III. *Respectu aetatis;* quæ vel perfecta est, quam mares 24., foeminae 16. aetatis anno attingunt; vel imperfecta, quæ in illegitimam vel legitimam dispescitur: illegitima aetas, quæ absque sexus discrimine usque annum aetatis 12um perdurat, personas ad nullum prorsus actum solemnem publicum facit idoneas (a); legitima vero nonnullorum iurium exercitium tribuit. (b)

SCHOLIUM. 1. Personae imperfectae aetatis gaudent beneficio praeiudiciosum sibi actum, hac aetate revocandi, atque proprio nomine et actoratu ad invalidationem procedendi. Cit. 1-ae: 111. §. 8. et 1-ae: 128.

SCHOL. 2. Plena rerum administratio ante perfectam aetatem quandoque per *aetatis veniam*, tamquam per gratiam Principis obtinetur.

§. 5.

IV. *Sanae et infirmae.* Corpore et animo sanus omnibus suis iuribus plene gaudet; *animo infirmus*, seu leniter, seu vehementer deliret, iura, non item exercitium eorum possidet; unde amentibus tutores constituuntur (c); *corpore infirmus*, in exercitio dummodo iurium suorum impeditus, eadem per alios exercet.

A 2

SCHOL.

- (a) 1-ae: 111. 130. 2-ae: 32. (b) 1-ae: 111.
 (c) 1-ae: 55. 124. §. 4.

SCHOL. Morbus gravior a tutela gerenda excusat. 1-ae: 122. §. 5.

§. 6.

V. Respectu honoris; cui opponitur infamia, quae vel ipso turpi facto posito manet, vel instar poenae ob delictum ex legis dispositione per sententiam iudicialiam infligitur; illa infamia facti, haec iuris audit.

SCHOL. Infamia iuris sequitur proditores fraterni sanguinis, 1-ae: 38. 39. Tutores quoad personam et proprietatem honorum pupillarium infideles, 1-ae: 123. §. 2. Confectores falsarum litterarum quibusdam in casibus, 2-ae: 16. §. 3. 1723: 12. Peierantes 2-ae: 30. §. 3. 1567: 23. Non observatores legitimorum mandatorum iudicialium 1563: 78. 1625: 4. Depositorum fraudulentos interversores 1622: 16. §. 1. Nobiles possessionatos larvam scienter retinentes 2-ae: 16. 1723: 12. 46. Privatam contributionem cum praepiudicio aliorum regnicolarum regi promittentes, VLAD. D. 5. 1. §. 5., occasione Diaetae munera dantes vel recipientes 1649: 44. §. 3. item privatos conventus contra constitutiones diaetales celebrantes, 1597: 46. 1599: 23. Conventionem, cui additum est vinculum infamiae, non servantem, MATH. D. 6. 17. VLAD. D. 1. 38. Iudicem exequentem, vel officialem publicum vi officii procedentem infamem dicentes, VLAD. D. 1. 70. §. 3.

§. 7.

Infamis ab omni honesto consortio eo ipso segregatus (a), inhabilis est ad quodvis mu-

(a) 2-ae: 30.

munus publicum, seu obtinendum, seu retinendum (a), ad accusandum, vel testandum (b), atque actione ad vindicandam existimationem destituitur (c). Atque hi effectus infamiae iuris non nisi per sententiam contrariam, novisato processu, vel per gratiam principis tolli possunt.

SCHOL. Effectus infamiae facti, macula ob malum morale contracta, prout facto incurritur, ita positis factis contrariis sensim suffertur.

§. 8.

B.) Ratione status civilis:

I. Indigenae, seu regnicolae, qui sedem fixam in Hungaria habent, et Alienigenae, seu peregrini. Indigena vel nascitur a parentibus indigenis (d), vel fit per receptionem, quae vel momentanea est, dum illustris quaequam persona occasione Comitiorum in Hungarum recipitur et inarticulatur, vel successiva, dum in Hungaria exterus, mente nunquam discedendi, moratur.

SCHOL. Sensu strictiore indigenae dicuntur tantum recepti per receptionem momentaneam.

§. 9.

(a) 1563: 78. §. 3. 1-ae: 120. §. 4. (b) S. Steph. L. 2. c. 3. 2-ae: 30. §. 4. 1729: 27. §. 7. (c) Cit. 2-ae: 30. (d) 1741: 61.

§. 9.

Alienigenae, seu peregrini a multis, quibus indigenae fruuntur, iuribus excluduntur; ut a nobilitate acquirenda (a), a possessione bonorum immobilium (b), a gerendis publicis reip. muniis, ac pertractandis regni negotiis (c), a beneficiis ecclesiasticis, praesertim maioris census (d), a quaestu, aliisque vitae civilis sustentandae mediis (e); quod tamen de nudinis publicis intelligendum non venit.

§. 10.

Habent attamen peregrini, quorum receptionem iam S. STEPHANUS (f) filio suo inpensius commendat, beneficia quoque legibus sibi tributa: in iis enim, quae iuris communis sunt, Hungaris pares censentur; unde cuncti processus velut Hungaris, iisdem competunt; praeterquam quod viri celebres, de Hungaria bene meriti, in Comitibus in indigenas recipiantur, insuper opifices utilis professionis et mercatores sub sponsione immunitatum invitantur (g); peregrinos lex civilis post mensem, criminalis post tres men-

(a) 1630: 30. (b) *And.* 26. *Alb.* 16. 1715: 23. §. 1. 1723: 64. 1791: 69. (c) *And.* 11. *Alb.* 5. 12. 15. 25. 1608: 10. *a. c.* 1741: 11. 15. 16. 17. 1792. 8. (d) *Vlad. D.* 1. 30. 32. 1723: 55. 1741: 15. etc. (e) 1741: 29. (f) *L.* 1. c. 6. (g) 1723: 116. 117. etc.

menses a promulgatione obstringit (a); exteris haereditarum provinciarum in nonnullis causis cambialibus integrum est, Hungarum ad exterum iudicium evocare, cuius sententia in Hungaria executioni mandatur. (b)

§. 11.

II. Respectu religionis. Omnes omnino in Hungaria religiones eodem utuntur iure, publicorum munerum obtinendorum capaces sunt, religionem libere exercere, et bona possidere possunt, exceptis regnis Croatiae, Selavoniae et Dalmatiae, in quibus ad bona possidenda R. Catholici solum, et G. R. n. uniti admittuntur; bona tamen iure sanguinis ad alterius religionis hominem delapsa medio cambii in Hungaria per regem adsignantur (c). Matrimonia inter diversarum religionum personas coram parocho tamen catholico ineunda, licita sunt, et proles, patre catholico progenitae omnes catholicam, patre vero aliam religionem profitente, filii tantum eius sequuntur religionem (d), a qua ad Catholicam iis transire liberum est, non item reciproce, nisi prius sex septimanarum examen parochi sui sustinuerint. Festa fori catholicorum omnes reliquae religio-

(a) 2. ae: 5. (b) 1662: 41. 1792: 17. (c) 1791: 26. §. 14. *Pac. Vien. punct.* 9. 10. 1608. 1. *a. c.* (d) 1791: 26. §. 15. 16.

giones observare tenentur abstinendo a streperis et publicis laboribus (a). Helveticae et Augustanae Confessioni addicti a clausula: *per Sanctissimam Dei genitricem, omnes Sanctos et Electos Dei*, seu in sua, seu aliena causa iurent, immunes sunt (b). Tempora, scholas, parochias alterius religionis invadere vel occupare sub poena 600. fl. toties quoties cautum est. (c) Fundationes, cuique religioni suae, salvae atque intactae manent. (d)

SCHOL. Iudaei in Hungaria tolerati, ius civitatis nunquam consequuntur, imo in Croatia, Sclavonia, Dalmatia ac Civitatibus montanis nec domicilium figere, nec commercium exercere permittuntur, AND. 24. 1729: 19. 1791: 38. iure civitatis destituti ab omnibus officiis, coetibusque, praepriis vero ab arenda teloniorum excluduntur, 1647: 91. 1715: 15. §. 2. peculiarem in 3. ae. 36. expressam habent iuris iurandi formulam; a dando pro iudaeo contra christianum testimonio arcentur, S. STEPH. L. 2. c. 3.; a quaestu vinorum nobiliorum, velut Graeci atque Armeni, sub poena confiscationis prohibentur, 1723: 118. 1729: 12. 1741: 29.

§. 12.

III. Personae sui, et alieni iuris; potestates, quibus alieni iuris personae subiciuntur, sunt patria, tutoria, et dominica.

CA.

(a) 1791: 26. §. 17. (b) Cit. lex. §. 9. (c) Cit. lex. §. 12. 1647: 14. (d) Cit. 1791: 26. §. 10. 11.

CAPVT II.

DE NOBILIBVS.

§. 13.

Nobilitas subiective sumta est praecellentia characteris, vi cuius persona bene merita ab omni rusticitatis servitute eximitur, et in eminentiorem civilem statum cum peculiaribus immunitatibus et praerogativis collocatur.

COROL. Fundamentum nobilitatis in Hungaria unice praeclara merita esse debent. 1. ae. 3. 4. 84. §. 1.

SCHOL. Nomine *nobilis* veniunt 1. Ecclesiastici omnes indiscriminatim, 2. Proceres et Magnates, 3. Ordo equestris, seu nobiles strictius dicti, 4. L. R. Civitates, Districtus item Jazygum et Cumanorum, ac Oppidorum haidonicalium collective sumti: atque cuncti hi una, eademque libertatis, exemptionis et immunitatis praerogativa gaudent, 1. ae. 2. §. 1.

§. 14.

Nobilitas alia est *status*, dum eadem toti classi inhaeret, ut est nobilitas status ecclesiastici; alia *officii*, vi huius cuiuspiam competentis; alia *participata*, seu *communicata*, seu *familiaris*, seu *haereditaria*, proprie dicta nobilitas, a patre per legitimam generationem ad omnem posteritatem transiens.

SCHOL.

SCHOL. Ubi deinceps de nobilitate hoc in opere actum fuerit, nobilitas proprie dicta, id est, gentilitia intelligenda venit.

§. 15.

Modus nobilitatem acquirendi vel est *originarius*, dum ignobilis inter nobiles refertur, vel *derivativus* per legitimam generationem. Originarius alter est pro patriae filiis, alter pro peregrinis; pro iis sunt duo: *Donatio regia*, quorsum *Praefectio* et *Adoptio* spectat, et *Litterae armales*; pro his unicus est modus *Indigenatus*.

§. 16.

Donatio regia est collatio iuris possessionarii iure perpetuo et privilegiali facta, statutioneque legitima roborata. (a).

COROL. 1. Jus possessionarium, per quod tantum fundus immobilis nobilitaris intelligitur, per regem conferendum est. 1-ae. 24. PLAN. TAB. liq. deb. Dec. 24.

COROL. 2. Donatio in forma solemnisi privilegii expedienda, et, quia eius vis absque statutione perit, tali firmanda est.

SCHOL. Ut in donatione regia expressa nobilitationis mentio iniiciatur, necessarium haud est; implicite enim eo ipso intelligitur, regem velle talem donatarium stabilem et firmum possessorem in fundo donato, cuius ut ignobilis incapax esset. 1715: 23.

§. 17.

(a) 1-ae: 4.

§. 17.

a) *Praefectio* est actus, quo mulier familiae in bonis sexus tantum masculini per ultimum deficientem cum consensu regio privilegiali in masculinum haerodem substituitur. (a)

COROL. Consensus actui idmodi, uti fassioni aut testamento superinductus, vigore 1-ae. 7. §. 2. donationem sapit; atque ideo praefectio ad donationem refertur. Foemina vero praeficienda eiusdem familiae sit, oportet; casum enim in contrarium adoptio, non praefectio erit; ipsae etiam leges patriae de praefectione agentes, semper bonorum paternorum, fratrorumve meminerunt. Foemina demum praefecta pro Capite familiae habetur, liberique ex ea prognati, marito etiam ignobili, nobiles sunt. 1-ae: 7.

SCHOL. Duae foeminae nexum sanguinis habentes, non tamen eodem actu et consensu regio praefectae, deficiente una, sibi ex defectu nexus iuris succedere nequeunt. 1-ae. 50. §. 2.

§. 18.

b) *Adoptio* est actus, quo persona alterius familiae, per ultimum deficientem in familiam suscepta, haeres constituitur. (b)

COROL. Nullus actus privatus iuribus fisci praediudicare potest; hinc adoptio cum consensu regio privilegiali fieri debet, qui donationem sapit. 1-ae: 8. Adoptandus autem alterius familiae esse debet: familia *latius* sumta personas tantum nexu san-

(a) 1-ae: 7. 17. 39. 57. (b) 1-ae: 66. §. 2.

sangvinis, *strictius* accepta et nexu sangvinis, et nexu iurium iunctas complectitur; unde esse possunt consangvinei, quin sint de eadem familia *strictius* sumta, in materia vero adoptionis familia semper *strictius* sumitur.

§. 19.

Adoptio alia est *filialis*, dum filii, alia *fraternalis*, dum fratris nomine quispiam in familiam suscipitur; haec *unilateralis* est, vel *bilateralis*, dum semet *reciproce* in fratres cooptant. (a)

SCHOL. Adoptio in bonis avitis per supernascentiam legitimorum haeredum ipso facto evanescit; leges enim in avitis adoptionem non nisi in casu defectus haeredum admittunt; nec consensus regius superinductus quidpiam opitulatur, ruente enim fundamento, ruit et superaedificatum. 2. ae: 85. §. 3. Aliter cogitandum venit de bonis acquisitis.

§. 20.

II. *Armales*, ab insignibus, seu armis sic dictae, sunt privilegium absque collatione iuris possessionarii nobilitatem diserte conferens. (b)

SCHOL. 1. Ad litteras armales, modum nobilitandi recentiore (ab. an. 1401.) obtinendas, deponentibus id legibus patriis praeter merita, sufficiens quoque commendatio adesse debet; et quidem hominem *liberum* vel Comitatus, vel tres Consilarii regii, qui de usu Barones regni esse solent, *civem* Ma-

(a) 1. ae: 8. 63. 66. (b) 1. ae: 6.

gistratus civicus, et duo Consilarii regii, *colonum* dominus terrestris, et Comitatus commendare debent. 1630: 30. §. 1. 1649: 15. §. 1.

SCHOL. 2. In armalibus diserta nobilitationis mentio esse debet; ideo cum testante 1. ae: 6. §. 1. civibus etiam, ac colonis recurrentibus rex armis, seu insignibus utendi facultatem tribuat, quo in casu etiam litterae sine ulla tamen nobilitationis mentione conceduntur.

SCHOL. 3. Armalista obtentor armales sub nullitate in Comitatu domicilii publicandas curet, necessum est. 1630: 30. 1655: 36.

§. 21.

Indigenatus momentaneus, modus peregrinis nobilitatem procurandi unicus, est, dum illustrior persona ob praeclara sua merita in Hungarum recipitur, nobilitaturque. Solemnitates ac requisita *indigenatus*, legibus (a) constituta, ad sequentia reduci valent: 1. peregrinus in Comitibus, Regis et Statuum consensu, recipitur, et articulo inseritur. 2. iuramentum de observandis defendendisque regni, regnicolarumque iuribus in Diaeta, vel si id fieri nequiret, in Cancellaria R. H. A. deponit. 3. taxam *indigenatus*, pro secularibus in 2000. aureis, pro ecclesiasticis maiora beneficia tenentibus in 1000., minora possidentibus in 200. aureis *fixam* (b), ad aerarium regni persolvere tenetur.

(a) 1687: 26. 1715: 23. 1741: 41. (b) 1791: 70. *confirmans* 1741: 17.

netur. 4. religionem Christianam, et quidem unam in Hungaria receptam profiteatur. 5. Diploma ex Cancellaria R. H. A. obtinet.

SCHOL. Per MATH. D. 6. 32. Veneti et Poloni ab indigenatu excluduntur, quae lex, non obstantibus exceptionibus, hodieum obtinet.

§. 22.

Praerogativae nobiles:

a) *Cardinales*, in quibus tanquam totidem Cardinibus omnis nobilitas hungarica vertitur, sunt tres:

I. *Nobiles*, nisi prius legitime citati et ordine iudiciario condemnati fuerint, in eorum personis ad quorumvis instantiam vel clamores aut preces nusquam et per neminem detineri possunt. (a)

SCHOL. Hae praerogativa non gaudent: 1. de crimine laesae Maiestatis accusatus, aut quibusdam iudiciis subversantibus, 2-ae: 44. 1715: 7. 1723: 5. 1791: 56. Casus tamen notae infidelitatis huc non spectat, cit. 1723. 5—2. Nobiles in actuali aut flagrante delicto deprehensi, 1-ae: 9. §. 2. 3. 3-ae: 32. 1723. 5. — 3. Milites nobiles signa sua deserentes seu profugi, 1598: 31. 1601: 4—4. Officiales seu publici, seu privati reddendis rationibus obnoxii, profugere volentes, SIGIS. D. 6. 6. MATH. D. 3. 2. D. 6. 33. VLAD. D. 1. 24. 1554: 20. 1622: 65—5. Nobiles immissione malefici, noti homicidae, latrones etc. 1625: 13. 1655: 38. 1687: 14. 1723: 5.

§. 23.

(a) *And. art. 2. Alb. 27. 1-ae: 9. 1608. 16. a. c. 1613: 34. 1618: 14. 1723: 5.*

§. 23.

II. *Nobiles nullius, praeterquam Principis legitime coronati subsunt potestati, et ipse quoque Princeps noster ad simplicem querelam vel suggestionem sinistram alicuius, neminem eorum praeter viam iuris, et parte altera non audita, in persona vel rebus suis ordinaria auctoritate impedire potest.* (a).

SCHOL. Nobilibus proinde nullum dominum, demto rege, vel habet, vel agnoscit; et ipsi regi tantum auctoritate extraordinaria in casu publicae, verae ac inevitabilis necessitatis de nobilis persona, vel rebus absque processu disponere integrum est.

§. 24.

III. *Nobiles iustis suis iuribus ac proventibus intra terminos territoriorum suorum adiacentibus, liberam habent fruendi potestatem; ab omnique servitute conditionaria, ac datiarum, et collectarum, tributorum, vectigalium, tricesimarumque solutione per omnia immunes et exempti habentur; militare unice pro regni defensione tenentur* (b).

SCHOL. 1. Nobilibus attamen cuiuscunque conditionis a fundis civicis, ut alii cives, contribuere debet,

(a) 1-ae: 9. §. 4. 1723: 5. (b) *And. 3. Alb. 28. 1-ae: 9. §. 5. 2-ae: 14. §. 11. 1723: 6. 1751: 19. 1807: 23. et sup. cit.*

bet, Sic. D. 2. 10. 1608: 15. a. c. 1649: 17. 1715: 77. mercaturam exercens onera solita ratione mercium ferre tenetur, 1559: 44. 1569: 17. 1638: 49. fundum denique colonicalem possidens, praestationes cunctas domino terrestri, et decimas praelato dare obligatur, 1548: 61. 1563: 69. 1613: 4. 1647: 95.

SCHOL. 2. Armalistae ab onere certae taxae, quam pluribus legibus id sancientibus ad cassam domesticam praestare tenebantur, per 1805: 1. punct. 17. in perpetuum sublevati sunt.

SCHOL. 3. Praerogativarum cardinalium olim quarta in AND. art. 31. §. 2. et 1-ae: 9. §. 6. expressa, in facultate regi resistendi consistebat; quae communi SS. et OO. consensu per 1687. 4. sublata est.

§. 25.

b) *Non cardinales*, magni omnino momenti, non tamen eiusdem cum cardinalibus dignitatis, aliae personales sunt, aliae reales. *Personales*. Nobiles peculiari ratione membra S. Coronae sunt (a); armis, insignibus, nonnulli etiam praedicatis gaudent (b); in processibus nobilitaribus Comitatus et Curia regia sunt eorum iurisdictiones, nec ad aliud quodeunque forum in personalibus evocari possunt (c); ab hospitatione militum immunes sunt (d), ad officia Comitatus et alia illustriora omnia, tantum nobiles capaces sunt

(a) 1-ae: 3. §. 6. et res. 4. §. 1. (b) 1-ae: 6.
(c) 1-ae: 9. §. 4. 1647: 26. 78. 93. 1649: 17.
(d) Math. D. 6. 62. 1567: 39. §. 3. 1600: 20.
1543: 24. 1464: 28. 1662: 13.

sunt (a); actoratu proprio nomine contra quemunque eminentioris status et conditionis nobilem procedendi, infimus nobilis gaudet; ubi vice versa ignobilis contra nobilem, praesertim in personalibus agendi facultate, nisi sub adsistentia fisci magistratualis, absolute destituitur (b).

§. 26.

Reales. Nobilis iurium possessionariorum acquirendorum, et firmiter tenendorum est capax, ut adeo ex talibus per neminem titulo incapacitatis, ut ignobilis, eici possit (c); in bonis suis iura regalia exercet (d), et auctoritate iudiciaria in suos subditos, ut eorum index primae instantiae pollet (e); homagio denique alias civium classes superat. (f).

§. 27.

Dum quispiam ad usum nobilitatis se collocare vult, vel alter, ut falsus et larvatus nobilis a fisco impetitur, *investigatio nobilitatis* instituitur; quae vel est *generalis*, per re-

(a) Sig. D. 6. 2. Math. D. 6. 9. Vlad. D. 1. 34.
1608: 10. a. c. 1659: 38. 1681: 27. 1723: 24.
56. 97. (b) 1-ae: 3. 3-ae: 31. (c) 1-ae:
4. 13. 1715: 23. (d) Lud. I. art. 6. Vlad.
D. 5. 18. 1729: 22. (e) Sig. D. 3. 10.
3-ae: 25. 26. 1729: 41. (f) 1-ae: 2. 3-ae: 5.
B

regem nonnunquam imposita, quo in casu quisque nobilium suam nobilitatem probare tenetur; vel *specialis*, dum singularis quaequam familia vel ex impetitione fisci, vel ad usum nobilitatis se ponere cupiens, nobilitatem suam docet. Huius investigationis olim diversae erant formae, per M. Theresiam Imp. et Reg. sequens est stabilita: investigatio penes solemnem processum, quem vel privatus contra fiscum in Comitatu originis, vel fiscus contra nobilem coram Sedria suscitatur, institui debet; onus probandi semper privatum manet, et usum nobilitatis 60. annorum probare, vel semet cum familia 60. annorum usum nobilitatis habente connectere hodie non sufficit; verum radicalis proba cum productione litterarum donationalium, armalium, indigenatus, quarum cuncta sibi applicare, singulosque genealogiae gradus docere debet, praestanda est. Sententia demum in sede iudiciaria perlata, processus a cunctis in Sedria praesentibus subscriptus, sub authentico Comitatus Sigillo ad Consilium R. L. H. pro discussione, ac inde medio Cancellariae R. H. A. ad regem transponitur, atque donec decisio regis eadem, qua processus expeditus fuerat, via redeat, Comitatus nobili quaestionato litteras super nobilitate testimoniales dare prohibetur. (a)

SCHOL.

(a) Int. ddo 27. Sept. 1730. ac 5. Oct. 1792.

SCHOL. 1. Gradus genealogiae probantur vel documentis, ut litteris divisionalibus, vel fassione testium, quae usque 60. annos, et quidem non morte, verum solemniter tantum authenticata acceptatur, Int. ddo 25. Maj. et 9. Jul. 1791. vel protocolis parochorum, circa quae cautum est, ut parochus articulum eodem idiomate de verbo ad verbum describat. Int. ddo 1. Febr. 1735. et 10. Maj. 1771.

SCHOL. 2. Documenta suspecta in expeditione per Comitatum in originali adiungenda veniunt, ut eorum genuinitatem altiora Dicasteria quoque discutere queant. Int. ddo 28. Jun. et 19. Jul. 1781. ac 1. Jul. 1784.

SCHOL. 3. Processus hic, cum investigatio nobilitatis negotium magis politicum sit, licet privilegiorum discussionem involvat, non ut alii eiusdem generis ad Tabulam regiam, verum ad Dicasteria politica, Consilium et Cancellariam, pertinet, atque promovetur.

§. 28.

Nobiles praediales creantur per donationem Curiae praedialis, quam Praelatus, hoc iure gaudens, facere potest. Horum nobilium iura, regni nobilium iuribus analogae sunt; a contributione enim quoad fundos suos, ut et a teloniis et quibusvis vectigalibus per totum regnum sunt immunes (a); ab hospitalione militum eximantur, ac in homagio et iuramento nobilibus regni aequiparantur (b), sedes illorum praediales peculiaribus magistris

B 2

stra-

(a) 1563: 59. §. 4: 1741. 63. §. 9. (b) 1567: 14. et usus perpetuus.

stratibus, ut est Palatinus Sedis, Vice-Comes, Fiscalis, Notarius etc., ad quos tantum nobiles praediales promoventur, provisae sunt; quaestiones de radicalitate honorum in iudicio octavali Praelati conferentis deciduntur; curiae vero, quas iure proprietatis et perennalitatibus tenent, iis deficientibus, vel crimen laesae Maiestatis incurrentibus, ad Ecclesiam Praelati conferentis recidunt.

SCHOL. Hoc iure, quod plerique Praelati per non usum amiserunt, hodie adhuc gaudent: Archi-Episcopus Strigoniensis, Episcopus Zagrabiensis qua Abbas de Thopuszka, Episcopus Iaurinensis, Capitulum Iaurinense, et Archi-Abbas montis Pannoniae.

CAPUT III.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

§. 29.

Personae ecclesiasticae in *Praelatos*: ut sunt Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates et Praepositi, et *minorem clerum*, quorsum Canonici, Paroeci, Capellani, religiosi et clerus iunior referuntur; ac in *seculares et regulares* principaliter dispescuntur.

§. 30.

Soli et omnes clerici iusiurandum testimoniale tantum ad puritatem conscientiae de-

deponunt (a); lege amortizationis ab acquirendis bonis secularibus prohibentur (b); et per suos legitimos praedecessores defixam decimarum arendam mutare et augere nequeunt (c), si urgentibus creditoribus bona eorum beneficialia in sequestrum sumantur, *beneficio competentiae* gaudent. (d)

§. 31.

Praelati maius homagium, quam *seculares nobiles* aut alii clerici, quod in 100. marc. gr. pond. consistit (e), legibus patriis constitutum habent; neocreati vero, distincta a communitate bona possidentes, *beneficio annuae prorogationis* instructi sunt.

SCHOL. *Homagium* est muleta pro actibus potentariis solvenda. *Marca* est lege determinata pecuniae quantitas, *marca gravis ponderis* valet florenos 4., *levis ponderis* florenum 1., *medii ponderis* florenos 2., *marca auri* 72 fl. 2-ae: 86. §. 1. 3. 4. 12. 13. 2-ae: 73. §. 4. In Transilvania *marca* gr. pond. in uno, *levis pond.* in medio floreno consistit, 3-ae: 3. §. 7. et tit. 4. §. 3. 4. — *Homagium*, aliud *vivum*, aliud *mortuum*, semper duplum prioris, pro varietate conditionis varium est: 1. *Praelatorum* et *Baronum regni* homagium sunt 100. marc. gr. pond. seu 400 fl., et hi homagium *vivum*

(a) 2-ae: 40. §. 1. (b) *Lud. I. conf. Bullae. And. II. in conclus.* §. 11. *Vlad. D. 3.* 55. 65. 1542. 33. *Pae. Vienn. punct.* 5. §. 7. 1608. 6. a. c. 1647. 17. 1715. 16. (c) 1647: 95. 1715: 97. §. 4. (d) 2-ae: 45. 48. (e) 1-ae: 2. §. 2. 2-ae: 40. §. 2. et tit. 43. §. 2.

vum non habent, 1-ae: 2. 2-ae: 43. 3-ae: 5. — 2. in *Hungaria stricte sumta* homagium a) nobilium mortuum in 50. marc. gr. pond. seu 200 fl. vivum in 100 fl. consistit, 2-ae: 70. §. 5. 3-ae: 26. b) civium aequiparatur homagio vivo nobilium, nusquam tamen mortuo, 3-ae: 9. c) colonorum mortuum in 40 fl. vivum in 20 fl. positum est, 3-ae: 26. 1550: 37. §. 14. — 3. in *Croatia, Slavonia, Dalmatia* homagium nobilium mortuum est 100., vivum 50 fl.; civium et colonorum idem, quod in *Hungaria*, 3-ae: 3. §. 1. — 4. in *Transilvania* nobilium homagium in 66. vivum in 33 fl. collocatum est, 3-ae: 3. §. 1. 8. Caeterum nobiles *Transilvani* pro minoris potentiae actibus in 50. marc. lev. pond. seu 50 fl. convincuntur, 3-ae: 3. §. 7. Siculi vero et alii plebeji pro homagio mortuo 25 fl. vivo 12 fl. 50 den. constitutos habent, cit. 3-ae: 3. §. 14. et tit. 4. §. 1. 2. — 5. *Jazygum et Cumanorum* homagium mortuum in 50., vivum in 25 fl. consistit, *art. Jaz.* 12. §. 2.

§. 32.

Praelati maiores, ut sunt *Archi-Episcopi* et *Episcopi* in *Sedibus* suis *diocesanis* propriam *iurisdictionem* *iudiciariam* exercent, in quibus praeter causas *ecclesiasticas* etiam *causae sponsalasticae*, *matrimoniales*, *testamentales* quoad *externas solemnitates*, *periuriales* item *disquiruntur*, *decidunturque*; *sententiarum* tamen *executionem* *magistratus* *seculares* *procurant* (a); *tenentur* *autem* in *causis* *spiritualibus* *S. Canones*, in *temporalibus* et *formam* *processus* et *leges* atque *con-*

sve-

(a) 1647: 15. 1715: 25. *Math. D.* 1. 3. *Vlad. D.* 1. 46. 1662. 29. §. 6.

svetudines patrias *sequi* et *observare* (a); *peculiari* *demum* *praerogativa* *procuratores* in *suis* *causis* *sub* *privatis* *suis* *sigillis* *constituendi* *gaudent.* (b)

§. 33.

Archi-Episcopus Strigoniensis *specialibus* *iuribus* *vestitus* *est*: *unicus* *enim* *iuramentum* in *processu* *sibi* *impositum* *per* *praecipuum* *officiale* *suum*, *ut* *rex* *per* *fiscum* *regium*, *deponit* (c); *duos* *Assessores* *Tabulae Regiae* *nominat* (d); *atque* *coloni* *eius* *per* *totum* *regnum* *a* *solutione* *teloniorum* *immunes* *ac* *liberi* *sunt.* (e)

Schol. Plura specialia iura *Archi-Episcopo Strigoniensi* *competentia* *recensere* *ad* *ius* *Hung. publicum* *pertinet.* *Vid. Steph. Rosenmann* *Ius publ. Regn. Hung. Vien.* 1791. pag. 134.

§. 34.

Capitula et *Conventus authentici* in *causis* *totum* *Capitulum* *aut* *Conventum* *concernentibus* *ius* *habent* *sub* *proprio* *sigillo* *procuratores* *ac* *plenipotentiarios* *constituendi*; *plenipotentiarium* *tamen* *sub* *proprio* *sigillo* *revocandi* *activitate* *destituuntur* (f); *nomine*

(a) 1552: 25. 1556: 9. 1567: 25. (b) 2-ae. 13. §. 6. (c) 1550: 64. (d) 1557: 13. §. 3. 1567: 26. §. 1. (e) 1557: 16. §. 3. 1563: 59. 1599: 41. (f) 1723: 41. §. 2.

ne communi actus potentiarios committentes, ut una persona convineantur ac puniuntur (a); documenta demum nobilium erga litteras requisitorias in authentico transumpto, sub poena 500 fl. et refusionis damnorum toties quoties, extradare tenentur. (b)

SCHOL. Poena praedicta etiam Comitatus refragarios manet.

§. 35.

Religiosi ordinem possidendorum honorum capacem subingressi, ex bonis avitis decimalitatem ratae sibi, si in seculo mansissent, obventurae praetendere possunt, quae tamen quinque millia florenorum excedere nequit. (c)

SCHOL. Per dispositiones M. Ther. Imp. et Reg. ddo 14. Jul. 1774. praeter alia concessum habetur, quo familia censum vitalitium, ducentos tamen florenos annue non superantem, instituere possit; Capitale vero, mortuo religioso ad familiam recidens, ubicunque elocari potest.

CA-

(a) 2-ae: 46. 47. 49. (b) 1723: 42. §. 6. et art. 43. 45. 1765: 11. (c) 1715: 71. §. 1. 3. 5.

CAPVT IV.

DE PROCERIBUS REGNI.

§. 36.

Proceres alii sunt officio tales, ut Barones regni, supremi Comites; alii nomine, stemmate tales.

§. 37.

Barones regni, seu qui ad praecipua regni munia cum eximia dignitatis praerogativa eVecti habentur, sunt: PALATINUS, Iudex Curiae Regiae, Banus Croatiae, Tavernicus, Magister ianitorum, dapiferorum, pincernarum, agazonum, cubiculariorum, Curiae Regiae; Capitaneus item nobilis turmae praetorianae ac Comes Poseniensis.

SCHOL. 1. PALATINUM e viris per regem candidatis SS. et OO. regni eligunt, atque rex confirmat. Reliqui Barones regni per regem nominantur.

SCHOL. 2. Primi quatuor Barones regni ordine recensito semper se excipiunt; reliqui ordine senii semet praecedunt.

§. 38.

Barones regni duo S. Coronae Custodes, qui pari ratione, ut PALATINUS per SS. et OO. regni eligantur, in dignitate excipiunt; hos de-

demum sequuntur *Supremi Comites* primum hereditarii, dein non hereditarii, omnes ordine senii; tandem veniunt *Comites et Barones*, nomine tantum tales.

§. 39.

Proceres generatim singillatim per Regales ad Diaetam vocantur, et non comparentes per Tabulam R. in duplicato suo homagio, i. e. 800 fl. convincuntur (a); homagio 100. marc. gr. pond. gaudent; atque ~~viduae illorum pro dote legali 50. marc. gr. pond. lege constitutas habent;~~ demum Director Commissariatus provincialis ex Procerum statu esse debet, quemadmodum Commissarii provinciales e nobilibus sint, oportet. (b)

SCHOL. Proceres iurisdictioni Comitatus pro ratione Causarum subesse, clara lege sancitum est. 1751: 36.

§. 40.

Barones regni *peculiaribus* fruuntur iuribus; pro homagio (c), et viduae eorum pro dote legali 100. marc. gr. pond. defixas habent (d); procuratores sub propriis sigillis constituunt (e); PALATINUS est supremus Iudex

(a) *Vlad. D. 3. 1. 1635: 79. 1662: 53. (b) 1723: 100. (c) 1-ae: 2. §. 2. 2-ae: 40. §. 2. (d) 1-ae: 93. §. 4. et tit. 94. §. 3. (e) 2-ae: 13. §. 6.*

Iudex Districtuum Jazygum et Cumanorum (a), et in processibus metalibus inter duos Comitatus (b), idem, vel eo absente Iudex Curiae Regiae est legalis Praeses Tabulae Septemviralis (c), prout Banus Croatiae Tabulae Banali (d), et Tavernicus Sedi Tavernicali praesidet (e); PALATINUS demum et Iudex Curiae Regiae sunt iudices regni ordinarii.

SCHOL. Plura de Proceribus, ad ius hung. publicum spectantia vide in cit. *Steph. Rosenmann Jur. publ. regn. Hung. pag. 138.*

C A P V T V.

DE CIVITATIBUS LIBERIS, REGIISQUE.

§. 41.

Civitas libera regiaeque est communitas unius territorii in sua complexione nobilis.

§. 42.

Civitates aliae sunt *Tavernicales*, quae a Tavernico, aliae *Personalitiae*, quae a Personali in iuridicis dependent; ad has etiam *Civitates montanae*, quae insuper peculia-

(a) 1751: 25. (b) 1618: 71. §. 2. 1635: 19. 1659: 65. 1715: 40. (c) 1723: 24. *princ. et §. 4. (d) 1723: 27. (e) Art. tav. 1.*

culiaribus nonnullis iuribus gaudent, spectant.

SCHOL. I. Civitates *ta vernicales* sunt: Bartfa, Buda, Carolostadium, Carpona, Cassovia, Comaromium, Debreczinum, Eperjesinum, Ginsium, Iaurinum, Kis-Martonium, Modra, Neoplanta, Pestium, Posega, Posonium, Sopronium, Szakoleza, Szathmár-Némethi, Szegedinum, Temesvárinum, Maria-Theresiopolis, Tirnavia, Zagrabia, Zomborinum; huc refertur et Civitas Quinque-Eclesiensis, nondum inarticulata. *Personalitiae* sunt: Alba Regia, Basinium, Cibinium minus, Crisium, Kaproncza, Késmárkinum, Leutsovia, Rustinum, S. Georgius, Segnia, Strigonium, Trencsinium, Varasdinum, ac omnes L. Regiaeque civitates montanae.

§. 43.

Civitates generatim sequentibus iuribus gaudent: universae imprimis causae tam contra cives, quam ratione fundorum civicorum, per quoscunque possessorum, coram magistratu civico promovendae sunt (a); fassiones quoad fundos civicos sub nullitate coram magistratu et sub sigillo civico (b), prout et intabulationes civium, incolarumque civitatis ibidem peragi debent (c). Iure quoque fiscalitatis quoad cives in defectu seminis et testamenti, non tamen in casu notae infidelitatis, aut criminis laesae Maiestatis (d) pollent; iure de-

(a) 3-ae: 10. 1635: 27. 1659: 53. 1681: 41. (b) 3-ae: 13. (c) 1723: 107. (d) 1638: 35. §. fin. 1649: 16. 1647: 78. 87. *Plan. Tab. Div. succ. rectif. in uno v. div. Comit. Dec. 37.*

demum gladii, patronatus, educilli, statuta pro suis negotiis (nobiles tamen minus stringentia) condendi, atque ratione fundorum civicorum ab omnibus possessoribus proportionatam contributionem exigendi (a) instructae sunt.

SCHOL. I. Civitates qua corpora immortalia lege prohibentur bona nobilitaria emere, vel quacunque ratione acquirere, 1542: 33. 54., si in electione magistratum, communitates civicae quempiam ob studium nationalitatis, aut linguae excludant, poenam 2000 fl. toties quoties actione Fiscii regii incurrunt, 1608: 13. a. c. 1609: 44. 1613: 40. 1715: 36., quae poena etiam Civitates, nobiles ab emtione domorum aut fundorum excludentes, manet, 1563: 62. 1655: 34. 1659: 49.

SCHOL. 2. Auctoritas magistratus civici circa nobiles certis limitibus constringitur; nam in personas et res mobiles nobilium etiam impossessionatorum nullam iurisdictionem exercere potest, 1546: 41. 1635: 21. 1647: 78. 93. 1649: 15. 1659: 129. 1681: 41. Domesticos nobilium, etiam opificii gnaros ac laborantes, magistratus vel coetus (czeha) sub poena violentiali arrestare prohibetur, 1647: 78. §. 5-9. 1723: 74. §. 3. Nobiles demum vina, cerevisiamve pro suis necessitatibus ad civitatem inferentes ab omni solutione (accisa) immunes sunt; quemadmodum etiam tempore nundinarum hebdomadialium res suas pro vendendo inferentes a dependendo qualicumque quanto eximuntur; subditi quoque eorum ultra aequum sub poena violentiae onerari nequeunt. 1563: 62. 1635: 21. 1647: 78. §. 11. 13. 14. 1649: 19. 1681: 42. 1715: 36. §. 6. 7.

§. 44.

(a) 3-ae: 2. 20. 32. 1638: 35. 1681: 41. 1715: 77. §. 4. 1723: 63. et leg. plur.

§. 44.

Civitates Tavernicales processus suos a magistratu ad Sedem Tavernicalem, quam singulis annis Tavernicorum regalium magister Budae celebrare tenetur (a), appellant; ad hanc Sedem, quae processus cuiuseunque generis civiles appellatos revidet (b), arbitrio Tavernici ad minus quinque civitatum ablegati sub nullitate iudicii convocandi sunt, et civitas invitata, per ablegatos non comparens, nisi legitimas absentiae rationes adferat, pro singulis diebus, ab octava praefixi termini die, in tribus marc. gr. pond. punitur. (c)

SCHOL. 1. Ut causa a magistratu ad Sedem Tavernicalem appellari possit, objectum litis 60 fl. ut vero hinc ad Tabulam Septemviralem vi 1807. 9. §. 3. deduci queat, 300 fl. excedere debet, art. tav. 10. Appellans, depositis titulo taxae magistratui civico 10 florenis, intra sex hebdomadas mandatum transmissionale a Tavernico, quod, ne causa appellata in rem indicatam abeat, et executioni mandetur, inter alias sex septimanas pleno iudicio exhibendum est, impetrare debet, art. tav. 7. 13. 14. 36. 40. 41. Processus appellatus a magistratu civico clausus et obsigillatus ad Sedem Tavernicalem transmittendus est, art. tav. 5. 8. 30.

SCHOL. 2. Propter appellandi facultatem a Sede Tavernicali ad Tabulam Septemviralem 20 fl. No-

(a) Art. tav. 1. 12. 28. 32. 35. (b) Art. tav. 6. 7. 10. 16. 1791: 43. (c) Art. tav. 11. 34. 37. 38.

Notario pro expeditione 12 fl. si obiectum litis 600 fl. superet, secus tantum 6 fl.; et Tavernico pro sigillo 10 fl. solvendi sunt, art. tav. 19. 21. 23. 24. 29. et schem. tax. — Appellatam autem Notarius, postquam appellans medio distincti libelli supplicis animum appellandi insinuavit, inscribere assolet, art. tav. 8. et usus. Peculiare demum est, quod appellans tam coram magistratu civico, quam Sede Tavernicali causa cadens, in refusione sumtuum triumphanti pro expeditione processum causatorum, etiamsi secus causa refusionem expensarum non involvat, convincatur, art. tav. 14.

§. 45.

Civitates Personalitiae lites coram magistratu suo civico terminatas ad Sedem Personalitiam immediate, septem civitatibus montanis confoederatis exceptis, appellant; quam Personalis, dum causarum sufficiens numerus deponit, adhibitis iurisperitis viris celebrat; a qua, cum Personalis nomine Maiestatis decidat, appellata nulla amplius est; processus tamen de novo inchoari, seu ut dicitur, novisari possunt.

SCHOL. 1. Taxa pro appellata a magistratu civico in 10 fl. consistit, exceptis septem civitatibus montanis confoederatis, pro expeditione vero sententionalium in sede personalitia, si obiectum litis 600 fl. non excedat, 6 floreni, sin superet, 22 floreni, quorum 10. Personali pro sigillo, 12. vero Notario sedis pro expeditione cedunt, solvendi sunt, cit. schem. tax. de an. 1770.

SCHOL. 2. Ad sedem personalitiam etiam 16. Oppida Scepusiensia an. 1772. recuperata appellant. Peculiare est, intuitu civitatum personalitarum cuncta usu et consuetudine invaluisse, nullasque prorsus eatenus leges existere.

§. 46.

§. 46.

Civitates montanae indole sua duas diversas habent iurisdictiones, civicam et montanam; circa quarum manutentionem sancitum habetur, ut officiales unius, in alterius iurisdictionem semet ingerentes, possessionati poena violentiali; immissione officii plectantur; citatio quoque apud aliam iurisdictionem, quam indoles negotii deposcat, facta, est ipso facto nulla. (a) Cunctae porro civitates montanae, sicut et villae Cremniczienses, ab hospitatione militum sunt immunes (b); atque iudaeos ex suis territoriis excludunt. (c)

§. 47.

Inter civitates montanas peculiari reflexione dignae sunt: *septem civitates montanae confederatae*, dictae, quorsum Cremniczium, Schemniczium, Neosolium, Bakabánya, Regiomontum, seu Ujbánya, Belobánya et Libethánya spectant (d); quae, praeterquam quod multis capitibus ex iure imperiali et saxonico suis in tribunalibus utantur, a sententia magistratus civici ad iudicium septem civitatum confederatarum, ex ablegatis singularum constans, appellant; ex earum porro con-

(a) 1659: 48. 1562: 33. (b) 1715: 43. §. 5. 1723: 65. §. 2. (c) 1791: 38. (d) 1533: 29.

constitutione obtinet, ut ex unius civitatis territorio relegatus, eo ipso pro expulso ex omnibus habeatur; jus stapulae denique ex antiquissimo usu exercent.

SCHOL. Ius et auctoritas iudicium septem civitatum confederatarum indicendi, atque litteras et acta Communitatem septem civitatum concernentia conservandi civitati Cremnicziensi, ea vero impedita, aut interessata, Schemnicziensi competit. Pro appellata vero ad hoc iudicium septem civitatum quinque floreni, abinde vero ad Sedem Personalitiam 10 fl. titulo taxae dependendi sunt.

§. 48.

Iurisdictio montanistica per iudicia districtualia exercetur, qualia pro superiori Hungaria Szomolnokini et Nagybányae, pro inferiori Schemniczii, pro Districtu Mararosensi Szigethini, et pro Banatu Temesiensi Oraviczae habentur; atque haec iudicia, tanquam fora primae instantiae cunctas causas montanisticas, fodinas vel earum cultores concernentes; constitutione potissimum montanistica Maximiliani (a), et statutis quibusdam specialibus pro cynosura deservientibus, dirimunt atque decidunt; ab iis vero appellatur hodie (b) ad Tabulam Regiam, et inde ad Septemviralem, ubi eum in finem

(a) 1723: 108. (b) 1741: 12. extra omnem usum posito.

peculiaris Referens processuum montanisticorum constitutus habetur.

SCHOL. Officiales et cultores fodinarum extra negotia montanistica communibus regni legibus, competentibusque iurisdictionibus subsunt. 1552: 30. 31. 1659: 48. 1622: 33.

C A P V T VI.

DE D I S T R I C T I B V S.

§. 49.

*D*istrictus est tractus terrae pluribus villis et oppidis, quorum incolae peculiari magistratu et iure utuntur, consitus.

§. 50.

Districtuum tres sunt classes; ad *primam* ii spectant, quorum incolae et collective et singillatim nobiles sunt; ad *secundam*, qui nomine tantum colectivo nobilitaribus praerogativis gaudent; ad *tertiam* denique referuntur ii districtus, qui licet nec collective quidem nobiles sint, peculiaribus tamen iuribus fruuntur.

§. 51.

I. Classis sunt:

Campus Turopolya, Turómezö, in Croatia, cuius incolae nobiles pluribus legibus per-

perlatis (a), in suis immunitatibus conservari iubentur; *Decem sedes lanceatorum Scepusiensium*, quae propriis magistratibus utebantur (b); at recentiore lege arctius cum Comitatu Scepusiensi coniunctae (c), iisdem hodie destituuntur; *Districtus Kóvár*, cuius Comes in diplomatibus cum reliquis Supremis Comitibus subscriptus legitur, hodie ad Transilvaniam pertinet. (d)

§. 52.

Ad II-am classem spectat:

A) *Districtus Jazygum et Cumanorum*, quorum privilegia M. Theresia Imp. et rex peculiari diplomate ddo 22. Nov. 1745. confirmavit, iisque speciales articulos elargita est; an. 1791. demum votum et sessionem in Comitibus obtinuerunt. (e)

SCHOL. Nova Statuta an. 1800. per Jazyges et Cumanos elaborata, accedente PALATINI confirmatione, expedita sunt.

§. 53.

a) *Magistratus Jazygum et Cumanorum* consistit imprimis in supremo eorum Capitaneo, qui ex officio PALATINUS est, cuncta
C₁ 2 eorum

(a) 1723: 92. 1741: 60. 1659: 106. (b) 1596: 10. 1598: 15. (c) 1802: 10. (d) 1741: 18. 1792: 11. (e) 1791: 29.

eorum negotia tam iuridica, quam politica suprema auctoritate gubernante (a); in Capitaneo palatinali, per PALATINUM constituto, qui Generales Congregationes indicit, sigillum commune districtuum, sub quo expeditiones fiunt, conservat, atque duos Assessores ad latus, et Vice-Capitaneum, qui eius absentis aut impediti vices gerit, habet; Notarii, Fiscales, ac Perceptores erga candidature PALATINI in Generali Congregatione eliguntur. Praeterea quilibet districtus habet Capitaneum districtualem, atque Assessores in particulari districtus congregatione eligi solitos; Capitanei districtuales sunt ⁱⁿ in Jazygia, et ~~totidem~~ ⁱⁿ in Cumania. ^{Primum} in omni loco est magistratus localis, id est, Senatus oppidanus.

§. 54.

b) *Modus procedendi in iuridicis.* Cunctarum causarum eiusdem loci tam personalium, quam realium iudex primae instantiae est magistratus loci; causas contra plures personas diversorum locorum movendas, ut et reales plurium locorum, nec non de debitis tria millia florenorum non excedentibus iudicat Capitaneus districtualis cum suis assessoribus; si vero personae litigantes in diversis districtibus degant, aut bona im-

(a) 1715:34. 1751:25. art. Jaz. 1. 7. 8. 9. 10.

improcessuata in talibus sita sint; tunc causae ad forum Capitanei palatinalis spectant, qui perinde in repetitione colonorum, debitis tria millia florenorum superantibus, ac processu metali locorum in diversis districtibus sitorum iudex est. Appellatio fit gradatim, ratione in Comitatus vigente. (a) Iure gladii singuli districtus sub praesidio Capitanei palatinalis utuntur, unde directe ad ~~Tabulam regiam~~ ^{ad appellatur} appellatur. (b) Nobilis ratione proprietatis terrae alicuius Jazyges aut Cumanos lite convenire volens, processum coram Tabula regia suscitare, eundemque contra Capitaneum districtualem, et per eum contra totam communitatem districtus, in quo talis locus existit, dirigere debet; et tales causas fiscus regius sumptibus et periculo Jazygum ac Cumanorum defendendas suscipit (c); si vero districtuum horum persona singularis aut communitas cum nobili litiget, praesertim in personalibus, causam gerendam Capitaneus palatinalis suscipere debet. (d) Pro iudiciis horum districtuum, coram quibus cuncta remedia iuridica, demta oppositione, obtinent, mandata iudicialia omnia tantum PALATINUS e sua Cancellaria elargitur (e); ad cuius mandatum requisitorium ex archivo communi, Jászberényi asser-

(a) Art. Jaz. 7. 8. (b) 1791:43. (c) Art. Jaz. 12. (d) Art. Jaz. 24. (e) Art. Jaz. 11. et usus.

asservari solito, transumpta sub poena 500fl. extradari debent. (a)

Schol. Cum his in districtibus nonnullae personales obligationes fundis adhaereant; tales nemo, nisi in gremio habitet, possidere admittitur; atque ideo fundos iure sanguinis ad quempiam ibidem non degentem devolutos, communitas redimere consuevit.

§. 55.

B.) *Districtus oppidorum haidonicium* complectitur sequentia sex oppida, in Comitatu Szaboles sita: Böszörmény, Nánás, Szobozlo, Dorog, Hatház, Vámospéres; quorum pecuniaria privilegia a Steph. Botskay concessa, plures reges confirmarunt, demum nobile corpus effecta votum et sessionem in Comitibus obtinuerunt. (b) Horum

§. 56.

a) *Magistratus* consistunt in supremo Capitaneo, per regem renunciando, qui politica et iuridica suprema auctoritate administrat; Vice-Capitaneo, quatuor ordinariis et totidem honorariis Assessoribus, Notariis, Fiscalibus ac Perceptoribus, Archivario item ac Rationum Exactore, in congregatione eligi solitis; singula praeterea oppida suos ha-

(a) *Art. Jax.* 11. conformiter 1723: 41. 42. 46. 1765: 11. (b) 1791: 29.

habent ductores (Hahnagy), qui politica gerunt; ac Senatum oppidanum.

§. 57.

b) *Modus procedendi in iuridicis.* Magistratus loci est forum primae instantiae omnium causarum tam personalium, quam realium suae Communitatis; causae vero, personas aut fundos in diversis oppidis existentes, concernentes ad iudicium districtuale ex Capitaneo, qua praeside cum Assessoribus, Notariis, Fiscalibus ac sex oppidorum ductoribus constans, spectant; quod etiam lites criminales, metales duorum oppidorum ac repetitionis colonorum dirimit. Appelatio fit a magistratu oppidano ad iudicium districtuale, et hinc ad Tabulam Regiam, modo in Comitibus recepto. (a)

Schol. Nobilibus, praesertim extra gremium oppidorum degentibus, iustitiam non iuxta sua statuta, verum iuxta communes patriae leges administrare, prout et procuratoriam constitutionem, ubicunque legitime factam, acceptare tenentur. 1647: 79. princ. et §. 1.

§. 58.

III-ae classis inter alios est *Districtus sedecim Oppidorum Scepusiensium.* Oppida tredecim ad Comitatum Scepusiensem pertinent-

(a) *Ad mentem* 1729: 28. 29.

tinencia per SIGISMUNDUM Reg. an. 1412. Polonis impignorata, per M. THERESIAM Imp. et Reg. anno dein 1772. recepta, atque tribus aliis adhuc adiectis adaucta, in iure suo multum de consuetudinibus Saxonice, cuius potissimum originis sunt, atque legibus Polonicis retinuerunt. Eorum

§. 59.

a) *Magistratus* in Administratore per regem denominato, in Comite provinciae, seu Graffio per se eligendo, Assessoribus, Notariis etc. consistunt; singula vero oppida suum habent magistratum loci.

§. 60.

b) *Modus procedendi in iuridicis*. Rei, personaeve eiusdem loci iudex est magistratus loci; diversorum vero locorum causas, vel si tota Communitas in litem vocetur, dirimit iudicium provinciale ex Administratore, tanquam praeside, Comite provinciae, Assessoribus et aliis Magistratualibus cum ablegatis singulorum oppidorum coalescens. Appellatio a magistratu locali fit ad iudicium provinciale, et ab hoc hodie ad Sedem Personalitiam; causae tamen criminales directe ad Tabulam Regiam deducuntur (a). Caeterum

(a) 1791: 43.

rum praeter legitime inductas consuetudines et statuta vetusta, communibus regni legibus obstringuntur.

Schol. Districtuum iura specialissima ex eorumdem privilegiis, statutis, consuetudinibusque hauriri debent.

C A P V T VII.

D E L I B E R T I N I S.

§. 61.

Libertini sunt personae nec nobiles, nec cives; nulli tamen domino terrestri obnoxiae. Sunt vel personae *singulares*, vel *morales*, dum communitas libertina est.

Schol. Libertini vel plena fruuntur libertate, nullum prorsus dominum terrestrem habentes, ut Cumani, Haidonicales etc. vel minus plena, qui domino terrestri, quem quidem habent, stricta obligatione coloniali obnoxii non sunt, verum suis privilegiis utuntur, ut sunt oppida S. Coronae, regalia etc.

§. 62.

Communitates libertinae ob defectum nobilitatis honorum nobilitarium acquirendorum incapaces, ex talibus per quemvis nobilem, deposita summa investita ejici possunt (a); communi

(a) 1635: 68. 1715: 23.

muni nomine actus potentiarios patrant, ut una persona moralis puniuntur (a); atque ex privilegio rite ordinatum magistratum habentes, omnes causas sui territorii tam reales, quam personales iudicant, unde ad Sedem dominalem ac ad Sedem Comitatus appellatur (b); in decidendis vero eiusmodi causis privilegiorum et Statutorum localium, qualia tamen absque domini terrestris consensu condi nequeunt, ratio habenda est, adeo quidem: ut communitati dominium, talismodi privilegiis contrarians, coram Tabula regia lite conveniendi, et sic se ad usum privilegiorum reponi curandi integrum sit. (c)

SCHOL. Ius intabulationis, quod quaedam communitates oppidanae praetendunt, et usurpant, eisdem, quemadmodum et Sedibus dominialibus absolute non competit. 1723: 107. et *Plan. Dec. Cur.*

§. 63.

Libertini singulares, antiquis temporibus diversae sortis, hodie plerumque sunt, qui in bonis uxoreis vel maternis degunt; bonorum nobilitarium acquirendorum incapaces quidem sunt, at *ius bona* per Successionem maternam ad se devoluta, cum matrem repraesentent, *retinendi* habent (d); bona familiae titulo perennali alienata revind-

(a) 1638: 67. 1655: 43. (b) 3-ae: 26. 1765: 29. (c) 1715: 28. (d) 1-ae: 113. 1659: 70. 1687: 18.

dicare, cum hoc acquisitionem sapiat, nequeunt (a); pignori tamen locata, cum non nisi usum fructum revindicent, reluere possunt; ex bonis maternis vel uxoreis actus potentiarios patrant, ut nobiles puniuntur (b); contra nobilem tamen in personalibus aeternitate proprio destituti (c), non nisi sub assistentia fisci magistratualis procedere possunt, homagiumque saltem 40 fl. praeter refusionem damnorum et expensarum consequuntur (d); in realibus autem proprio quidem nomine, at tantum ad restitutionem rei, et damnorum ac expensarum refusionem, non item ad poenam agere possunt. (e) Libertini dominis terrestribus carentes a iurisdictione nobilitari Comitatus iudicantur (f); atque velut ignobiles, cuiuscunque sint conditionis, ordinariae contributioni subiacent (g), et ideo e consideratione fundi contributionalis passim ex uno Comitatu ad alium migrare non permittuntur, et sine insinuatione discedentes actione fisci repetuntur (h); iisdem autem deficientibus, vel notam incurrentibus fiscus regius tam in mobilibus, meliorationibus, investitionibus, quam etiam in

(a) 1-ae: 113. 1659: 70. 1687: 18. et *Plan. Tab. ad inval. fass. ex praevud. Dec. 22.* (b) 1659: 70. 1687: 18. (c) 3-ae: 31. (d) 1659: 31. 1802: 20. (e) *Legg. cit. et Plan. Tab. ad poen. viol. Dec. 4.* (f) *Vsus et mens* 1729: 55. (g) 1647: 26. 1659: 67. 1723: 63. 90. (h) 1723: 60.

in proprietate fundi possessi succedit (a); substantiam quoque mobilem libertinorum in fundis colonialibus degentium, modo libertinos fuisse probet, occupat. (b)

C A P V T VIII.

DE P O T E S T A T E P A T R I A.

§. 64.

• *Potestas patria* est ius in personas et res liberorum parentibus competens.

§. 65.

• *Obligaciones parentum* spectato tam iure naturae, quam legibus nostris (a) generatim in debita prolium suarum educatione consistunt. Unde intellectum earumdem veris, solidisque religionis principiis, ac necessariis, utilibusque artibus et scientiis imbuere, excolereque (d); voluntatem salutaribus praeceptis, et praeprimis paternarum virtutum exemplis ad bonum flectere, prolesque a recto deflectentes asperioribus etiam, si necessum foret, mediis reducere; (e) corpus vero in-

(a) *Mens* 1-ae: 10. et 1715: 62. (b) *Legg. citt. et Plan. Tab. div. succ. rectific. Dec.* 37. (c) 1-ae: 113. et aliis. (d) 1723: 105. 1765: 26. (e) 1-ae: 51. §. 5. 1723: 111.

integrum conservare, ab omni periculo custodire, iniurias illatas vindicare, necessarioque victu et amictu providere tenentur. (a)

§. 66.

Iura parentum a) relate ad personas liberorum consistunt in iure prolem per quemcunque et qualicumque sub praetextu ereptam vindicandi (b), modum educationis liberorum, patrem imprimis respiciens, determinandi (c); operas atque labores liberorum in suam utilitatem, praesertim si egeni sint, convertendi (d), et hinc eosdem post perfectam etiam aetatem in patria potestate retinendi (e); demum filium sui loco pro obside dandi (f), et ~~in~~ *in* prolium tutorem per testamentum constituendi. (g)

§. 67.

b) *Relate ad res et bona liberorum* integrum est parentibus necessitate vel rationabili causa impulsis in avitas prolium suarum portiones onera assumere, imo et bona in-divisorum filiorum vendere (h); quemadmodum

(a) *Prol. tit. 9. §. 2.* 1-ae: 55. 29. 30. 67. 111. 124. (b) 1-ae: 51. §. 7. (c) 1723: 111. 105. 1765: 26. (d) 1-ae: 53. §. 10. (e) 1-ae: 51. (f) *Cit.* 1-ae: 51. §. 8. (g) 1-ae: 56. 114. (h) 1-ae: 51. §. 6. et tit. 55. 59.

dum ipsarum etiam prolium proprios et peculiare proventus, sine ulla rationum reddendarum obligatione in emolumentum suum convertere; patre quidem ab hac obligatione semper, matre vero, donec vidua manet, immuni (a); filium denique in casibus lege (b) expressis etiam nolentem ad divisionem bonorum avitorum cogere, ex acquisitis vero penitus excludere.

SCHOL. *Casus lege expressi* sunt quinque, si filius 1. in parentes manus violentas iniiciat, aut alia gravi et impia iniuria adficiat, 2. extra casum criminis laesae Maiestatis parentem criminaliter accuset, 3. vitae parentum veneno, vel alio modo insidietur, 4. perversorum societati se addicat, bona pessumdet, nec monitus resipiscat, 5. parentem in captivitatem hostilem delapsum, dum potest, non redimat.

§. 68.

Obligationes liberorum ex iuribus parentum in personas et res prolium, quibus correlatae sunt, suapte intelliguntur, atque generatim in gratitudine, obedientia, et abstinentia cuiuscunque generis laesionum positae sunt. (c)

SCHOL. Quodsi parentes filiis discolis coercendis impares essent, magistratus succurrere tenentur. 1723: 111. 1-ae: 51. §. 5.

§. 69.

(a) 1715: 68. §. 13. (b) 1-ae: 52. §. 1-2.
(c) 1-ae: 51. 53. §. 10. 1723: 111.

§. 69.

Iura liberorum: ut iisdem conditioni et facultatibus conveniens educatio detur, exigere possunt, eo magis, quo in casum contrarium coram magistratu conquerendi iis detur facultas (a), et legibus sancitum habeatur, ut parentes, malam personarum, rerumque prolium suarum curam gerentes, ab earundem educatione simpliciter removeantur (b); filius legitimae aetatis de suis acquisitis propriis libere testari (c), et ratione bonorum priorum, iniuriarumque sibi illatarum nomine suo litigare potest (d); demum ius est filio ad ineundam avitorum bonorum divisionem contra patrem in casibus lege (e) expressis procedendi.

SCHOL. I. *Casus lege notati* sunt sex: 1. si pater sua propria, vel etiam filiorum bona avita disperdat, sine necessitate vendat; vel 2. eadem desolari ac destrui permittat; 3. si in filium absque causa desaeviat; vel 4. eundem perfectae aetatis, legitimum matrimonium inire volentem impediatur; 5. si filius absque offensione Dei cum patre cohabitare nequeat; vel 6. eidem, legitimum matrimonium cum consensu patris ineunti, media vivendi desint; qui casus ad filiam cum consensu patris nuptam nulla ratione extendi potest, cum in regula marito intertentio uxoris incumbat, 1-ae: 29. 30. 98. et ius per cit. 1-ae: 54. filio concessum, qua
extra-

(a) 1-ae: 53. 54. 1723: 105. 1765: 26. (b) 1715: 68. §. 15. (c) 1-ae: 51. §. 9. (d) 1-ae: 111. *Plan. Tab. ad act. mai. pot. Dec. 1.*
(e) 1-ae: 53. 54.

extraordinarium, strictae sit interpretationis. PLAN.
TAB. div. succ. rectif. Dec. 49.

Schol. 2. Liberi facto suo nullam parentibus obligationem inducere possunt; unde debitum per filium contractum, aut dotem promissam pater persolvere non tenetur; talismodi enim contractus absque consensu parentum initi sunt ipso iure nulli. 1-ae: 51. §. 4. Vlad. D. 1. 74. §. 5. 1792: 17. 1802: 21. §. 2.

§. 70.

Modi patriam potestatem acquirendi sunt 4
matrimonium, legitimatio, adoptio; quorum primus ordinarius, duo posteriores extraordinarii sunt.

C A P V T IX.

D E M A T R I M O N I O.

§. 71.

A.) *Sponsalia*, communiter matrimonio praemissa, sunt pactum mutuum maris et foeminae de matrimonio invicem ineundo. Alia sunt *pura*, alia *adfecta*, seu restricta conditioni, diei, modo; conditio tamen non sit impossibilis, secus sponsalia facit nulla.

Corol. Omnia circa pacta necessaria requisita in sponsalibus adesse debent, ut est consensus liber, verus, clarus, determinatus etc.

§. 72.

§. 72.

Effectus legitimorum Sponsalium, praeter obligationem in conscientia, sunt etiam civiles: pars enim a sponsalibus recedens, per sententiam iudiciariam ad implementum cogi potest (a); et per eadem dominium rerum per largitionem sponsalisticam acceptarum sponsa consequitur. (b)

§. 73.

Modi sponsalia solvendi: sunt mors alterutrius partis, mutuus dissensus, fornicatio corporalis vel spiritualis, et matrimonium cum alia persona initum; quorum primi duo obligationem utriusque, posteriores vero tantum innocentis partis tollunt, permanente obligatione partis pactum violentis.

§. 74.

B.) *Matrimonium* est societas viri et foeminae sobolis procreandae et educandae causa legitime inita.

Corol. Ex fine matrimonii obligantur coniuges cohabitare, fidem conjugalem sancte observare, semet singulari amore prosequi, operamque ac vires ad rite educandam sobolem strenue conferre.

§. 75.

(a) Cap. 2. 17. de spons. Math. D. 6. 17. Vlad.
D. 1. 38. (b) 1-ae: 100.

§. 75.

Matrimonium aliud est *purum*, aliud *restrictum*: conditiones impossibiles in favorem matrimonii pro non adiectis habentur, tres tamen, quae hono *prolis*, *Sacramenti*, aut *fidei coniugalis* opponuntur, sunt, quae matrimonium invalidum reddunt.

§. 76.

Vt matrimonium legitimum sit, nullo vitio laboret, oportet; vitia talia *impedimenta* dicta, vel sunt *impedientia*, quae matrimonia inire vetant quidem, contracta tamen non reddunt nulla; vel *dirimentia*, quae matrimonia et illicita et nulla atque invalida faciunt.

§. 77.

Impedimenta impedientia his versibus comprehenduntur:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Dirimentia vero sequentibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Haec facienda vetant connubia; facta retractant.

SCHOL.

SCHOL. Error esse debet substantialis circa personam, vel talem qualitatem, cui consensus expresse alligatus habetur. *Conditio et status servilis* cum non existat amplius, impedimentum esse cessat. *Votum castitatis* solemne nempe, seu in religiosa professione elicited intelligendum est. *Cognatio* est impedimentum usque quartum gradum inclusive; *affinitas* legitima etiam usque quartum gradum, illegitima tantum usque secundum se extendit. *Crimen* complectitur adulterium et coniugium. *Honestas publica* est nexus ex sponsalibus inter sponsam et sponsi consanguineos primi tantum gradus lineae seu rectae seu obliquae, et vicissim, item ex matrimonio rato ad quartum usque gradum resultans. *Clandestinitas* est, dum solemnitates essentielles, in praesentia parochi proprii vel cum eius indultu alterius sacerdotis, et duorum adminus testium positae, desiderantur.

§. 78.

Effectus matrimonii respiciunt vel *utrumque coniugem*, ut est patria potestas, successio mutua ab intestato, ius coaquisitionis et tutelae in proles intuitu honorum demortui coniugis; vel solum *maritum*, qui praerogativam, qua caput familiae, eandem regendi nanciscitur, et praecipuam obligationem familiam intertenendi habet (a); vel *uxorem* tantum, quam maritum sequendi obligatio manet, cuius forum, mensam, iura, nomen, titulos consequitur; vel *proles*, quae ex iustis nuptiis natae, legitimae statuique conformiter educandae sunt, cuncta

D 2

iura

(a) 1. ae: 29. 30. 67. 98.

iura et honores patris, personalibus exceptis consequuntur, successionem legalem ab intestato in omnibus bonis utriusque parentis capiunt, atque iure avita familiae bona, per maiores in praeiudicium vendita, reivindicandi gaudent.

§. 79.

Divortium est superstitibus adhuc coniugibus matrimonii dissolutio. Aliud est *proprie dictum* seu *totale*, quo coniuges et quoad habitationem, et quoad vinculum separantur; aliud *improprie tale* seu *partiale*, quo, subsistente vinculo, quoad habitationem tantum seinguntur. Divortium proprie tale apud R. Catholicos nunquam locum habet, improprie tale tamen ex rationibus gravibus competentis iurisdictionis auctoritate fieri potest.

SCHOL. 1. Rationes ad divortium partiale procedendi sunt: 1. adulterium formale consumatum et non compensatum, 2. fornicatio spiritualis, vel animae et peccati periculum, 3. vitae et valetudinis discrimen, 4. nimia saevitia. *Capit. 15. 16. de convers. coniugat. Capit. 2. seqq. et fin. de adult. Capit. 8. 13. de restit. spoliat.*

SCHOL. 2. Apud Protestantes divortium etiam quoad vinculum obtinet, si coniux vitae alterius coniugis insidietur, si adulterium formale non compensatum comprobetur, si coniux coniugem maleficiose deserens, ter edictaliter citatus, non redeat, si capitales inimicitiae inter coniuges vigeant.

§. 80.

§. 80.

Processus ex sponsalibus et matrimonio resultantes sunt: 1.) Ad implementum sponsalium ex *Capit. 2. 10. 17. 31. de spons. et MATH. D. 6. 17. Vlad. D. 1. 38.* 2.) Ad divortium improprie dictum apud R. Catholicos, et apud Protestantes etiam ad totale ex rationibus allatis. 3.) Ad declarationem nullitatis matrimonii, totalemque separationem, dum impedimentum dirimens subvertatur.

SCHOL. Apud Catholicos, et graeci ritus tam unitos, quam non unitos iudex competens est Episcopus cum Assessoribus. *SZILÁGY. art. 9. MATH. D. 1. 3. VLAD. D. 1. 45. 46. 1723:29. §. ult. et S. Canon.* In matrimoniis quoque mixtis causae matrimoniales coram S. Sedibus decurrunt; Protestantes vero, donec Consistoria eorum regulata fuerint, coram foris secularibus similes processus promovent. 1791:26.

CAPVT X.

DE LEGITIMATIONE ET ADOPTIONE.

§. 81.

A.) *Legitimatio* est actus, liberis illegitimis iura legitimorum conferens. Fit vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis, aut Pontificis. (a)

§. 82.

(a) *Capit. 13. qui fil. sint. leg. 1-ae: 106. 108.*

§. 82.

Legitimatō per subsequens matrimonium legitimos ad omnes dignitates tam ecclesiasticas, quam ad politica regni munia obtinenda habiles, et quorumcunque familiae iurium, titulorum, nobilitatis, successione participes reddit.

§. 83.

Legitimatō per rescriptum Principis, naturam privilegii praeseferens, effectus tantum civiles producit, legitimatisque ius praefisco in bonis familiae succedendi tribuit: (a) relate ad familiam in bonis avitis, absque consensu familiae hominum interventa, nullum vigorem habet. (b)

§. 84.

Legitimatō per rescriptum Pontificis alia est directa, dum rescriptum unice ad legitimandas proles datur, alia indirecta, dum Pontifex in impedimento dirimenti dispensat: prioris effectus sunt tantum ecclesiastici, posterioris iidem, qui legitimationis per subsequens matrimonium, cui aequiparatur.

§. 85.

(a) 1-ae: 5. 57. 1723: 49. (b) 1-ae: 108.

§. 85.

B.) *Adoptio*, ut patriam potestatem operetur, debet esse filialis et perfecta. Huius regulae sunt 1. in adoptione hominis sui iuris, illius consensus necessarius est; quemadmodum patris, dum eius filius adoptatur (a); 2. respectu familiae in bonis avitis non nisi ultimus deficiens, in acquisitis, successores etiam habens, adoptare potest (b); 3. respectu fisci in bonis donationalibus ultimus deficiens tantum cum consensu regio valide adoptat (c); quo in casu, cum consensus donationem sapiat, adoptatus per solemnem introductionem possessorium ingredi debet (d); 4. inter duos adoptatos, communionem sanguinis non habentes, collateralis successio ex defectu propaginis sanguinis non obtinet (e); 5. haeredes legitimi supernascentes adoptionem ratione honorum avitorum, etiam consensu regio firmatam, rumpunt (f); 6. adoptatus in familia adoptantis ad seriem agnatorum venit (g); 7. bona adoptione accepta intuitu descendendum adoptati pro acquisitis habentur, unde eiusdem liberae dispositioni subiacent. (h)

Schol. *Adoptio*, testamenti indolem habens, ante mortem adoptantis, nihil iuris actualis tribuit.
Si

(a) 1-ae: 51. §. 7. (b) 1-ae: 5. 57. 59. 63. 66.
(c) 1-ae: 64. 1715: 26. (d) 1-ae: 63. 40. 66.
(e) 1-ae: 50. §. 3. (f) 1-ae: 63. 66. (g)
1-ae: 67. 120. (h) 1-ae: 5. 57. 1723: 49.

Si vero adoptans bona per notam amittat, etiamsi gratiam vitae et honorum impetret, adoptio est nulla atque irrita; atque nonnisi de novo facta ac consensu regio firmata subsistere potest: nec enim filii legitimi naturales, ante notam geniti, in bonis per gratiam recuperatis succedunt. 1-ae. 49.

CAPUT XI.

DE MODIS PATRIAM POTESTATEM SOLVENDI.

§. 86.

Modi patriam potestatem solvendi ordinarii sunt: divisio ratione masculorum, (a) et matrimonium legitimum ratione foeminarum (b).

§. 87.

Extraordinarii: mors parentis, sententia convictiva ex crimine laesae Maiestatis vel notae infidelitatis, ut adeo nec gratia vitae et honorum impetrata, patria potestas amplius reviviscat (c); adoptio perfecta, status patriam potestatem excludens, parentis ab educatione et administratione rerum prolium suarum remotio auctoritate publica facta. (d)

C A.

(a) 1-ae: 51. §. 1. et tit. 56. princ. (b) 1-ae: 51. 56. (c) 1-ae: 56. §. 2. (d) 1715: 68. §. fin. 1765: 26. circ. fin.

CAPUT XII.

DE TUTELA ET CURATELA.

§. 88.

A.) *Tutela* est ius regendi pupillum: estque iure nostro vel *pupillaris*, vel *puellaris*, vel *amentium*. (a) Alia demum est *legalis*, cuius tres sunt species *testamentaria*, *legitima*, *dativa*, alia *illegalis* seu *usurpativa*, *ingessiva*.

§. 89.

Tutela testamentaria, per patris testamentum constituta, ac ob voluntatem parentum prolibus suis optimo modo prospiciendi, inter tutelas prima atque validissima ratione personae *patria potestate*, relate ad bona *libere disponendi facultate* parentibus competente, tanquam fundamento nititur.

COROLL. Ascendentes unice patria potestate pollentes, liberis actu in hac potestate positus tutorem dare possunt: et quidem duratio tutelae, durationi fundamenti respondere debet, unde masculis usque legitimam aetatem, puellis usque nuptias, amentibus usque sanae mentis usum tutor constitui valet; nec repugnat, ut haec tutela pure vel conditione deferatur. 1-ae. 114. 124.

§. 90.

(a) 1-ae: 25. 112. 113. 124.

§. 90.

Tutela legitima alia est legitima et naturalis, quae per legem parentibus, superstiti utpote coniugi respectu bonorum alterius demortui, defertur; alia legitima tantum collateralibus competens, illa in arctissimo nexu naturali parentum cum liberis fundatur, et ideo parentes tutores ab onere reddendarum rationum immunes sunt, excepta tamen matre ad alias nuptias transeunte: (a) haec eo ordine quo bonorum Successio defertur (b) unde agnatus cognatis semper anteponitur (c) etiamsi liti cum pupillo involutus sit, quo in casu liti curator constituitur; (d) cognatus lege nonnisi tunc tutelam adire permittitur, dum bona manifeste utrumque sexum concernunt, secus extraneus praefertur; (e) gradu denique propingviores remotiores excludunt, et inter plures eiusdem gradus aptitudinis ratio habenda est. (f)

§. 91.

Tutela dativa pro fundamento publicum regiminis officium et successionem, quam rex in bonis absque haeredibus decedentium capit

(a) 1715: 68. §. 13. (b) 1-ae: 116. (c) 1-ae: 67. 120. (d) 1-ae: 117. (e) 1-ae: 116. 1659. 4. §. 2. (f) 1-ae: 55. §. 2. et tit. 117. §. 3.

capit (a), habet. Unde liquet regem, vel hoc impedito PALATINUM principaliter iure tutorem dativum constituendi pollere (b), quibus tamen regni negotiis occupatis, iurisdictio competens tutorem ponit (c), qui dexter, moribus fideque integer, et facultatibus pollens sit oportet (d) ut porro tutor dativus omnibus tutoris officiis strictissime defungatur, atque ita pupillo optimo quo fieri potest modo prospiciatur, magistratus procurare debet. (e)

§. 92.

Officia tutoris I. Initio tutelae sunt: 1. tutelam, ut munus pium et publicum (f) suscipere, nisi rationes a tutela excusantes praesto sint, ut est propriarum proliam multitudo, loci distantia, sparsa bonorum pupillarum multitudo, militia actualis vel aliud reip. munus, morbus gravis, litterarum imperitia in maioribus praesertim tutelis, Capitales inimicitiae inter tutorem et pupillorum parentes, aut ipsos pupillos, senectus sexaginta annis maior, imperfecta aetas, nimia paupertas. (g) 2. aetatem suorum pupillorum coram regni iudice ordinario vel loco credibili revideri curare, et desuper litteras revidi.

(a) 1-ae: 10. (b) 1-ae: 115. 124. 1715: 68. 1765: 26. (c) 1765: 26. (d) 1-ae: 115. §. 3. tit. 125. princ. §. 3. 1715: 68. §. 4. (e) 1723: 105. 1765: 26. (f) 1-ae: 125. (g) 1-ae: 122.

revisorio-testimonialia excipere, quae tutori eiusdem sunt momenti, cuius plenipotentiariae litterae plenipotentiariorum: his enim transactiones pro pupillis utiles inuit, onerosas vero, quas forte pupillus in scio tutore fecit, retractat; harum vigore, pupillo in litem vocato, comparet et poenam homagialem pupilli petit. (a) 3. *inventarii procuratio*, quod magistratus ex officio, ut primum mors parentum pupilli constat, optimo ordine et plenissime conficere debet, in Congregatione generali referendum. (b)

§. 93.

II. *Durante tutela* i. circa personam pupilli eadem officia tutorem, quae parentes, manent; demtis iis iuribus, quae tantum ob aretissimum nexum naturalem parentibus competunt.

§. 94.

2. *Res immobiles* ut bonus paterfamilias optime administrare tenetur: unde fundos, praedia in statu frugifero, aedificia oeconomica a ruina defendere, conservare, et si necessitas deponat, reparare; proventus vero oeconomicos iustis et licitis mediis augere studeat. (c) Alienationem iurium possessionis-

(a) 1-ae: 126. 127. 128. 132. 2-ae: 23. (b) 1715: 68. 1765: 26. (c) 1-ae: 115. 1715: 68.

sionariorum facere prohibetur, et si fecit, est ipso iure nulla (a), atque ideo talia iura non invalidatorio, verum repositionali aut successionali instituto revindicantur; si tamen alienationem propter commodum pupilli casus extraordinarius, ut esset captivitas pupilli, deponat, eandem tutori facere integrum est.

§. 95.

3. *Res mobiles*, ut litteralia documenta, privilegia, clenodia, pretiosasque res diligenter custodire, res vero iuxta legem servando non servabiles bono pretio vendere obligatur; prout et pecunia, excepta minori quapiam pro extraordinariis eventibus reservata summa, securis locis elocanda est. (b)

§. 96.

4. *Processus pupillorum* seu activos, seu passivos, quos pater decedens in cursu reliquerat, optimo et celerrimo modo terminet (c); novos vero activos suscitare caveat, nisi vel necessitas vel alia iusta ac gravis ratio pupilli exigat (d), passivos vero contra pupillum prorsus non admittat, verum penes productionem litterarum revisorio-testimonialium exceptio-

(a) 1-ae: 124. §. 5. 1655: 24. §. 2. (b) Dec. Cur. (c) 1-ae: 126. 127. 130. (d) 1-ae: 126. §. 1.

ptionem illegitimae aetatis faciat (a), nisi processus iam sub parentibus pupilli inchoatus esset (b) aut pupillas vel tutor eius loco, v. g. in statutione contradicendo, processui ansam dedisset. (c)

§. 97.

5. *Rationes*, seu accuratam expositionem percepti et erogati iam nunc (d) quot annis reddere obligatur, quas ordinate confectas magistratui sine discussionis resignat, quibus redditus atque discussis tutori remunerationis titulo sexta parte proventuum pupillarum ex bonis, non item capitalibus obtingit. (e)

SCHOL. Parentes tutores, velut reddendis rationibus non obnoxii, sextalitem praetendere nequeunt; mater tamen ad alia vota transiens, cum ratiocinari teneatur, eandem obtinet.

§. 98.

III. *Finita tutela* tutor universas pupillares res iuxta inventarium vel in natura vel aequivalenti cum suis accessoriis pupillo legitimae aetatis ad simplicem eiusdem petitionem reddere (f), finales rationes praestare atque damna usque culpam levem resarcire tenetur.

SCHOL. 1.

(a) 1-ae: 129. princ. et §. 1. (b) 1-ae: 130.
(c) 1-ae: 131. (d) 1765: 26. (e) 1715: 68.
§. 7. (f) 1-ae: 115. 1655: 24.

SCHOL. 1. Tutore ante redditas rationes decedente, relate ad damna per successores eiusdem pupillo refundenda hae sunt regulae: 1. pupillo illegitimae aetatis successores tutoris rationes semper reddere, et damna illata resarcire debent. 2. si tutor pupillo legitimae aetatis rationes non obtulit, nec acceptari ursit, onus ratiocinii et satisfactionis successores eius manet: contra si obtulit, imo et rationes accipi ursit, pupillus vero moras traxit, successores respondere non tenentur. 3. Pupillus perfectae aetatis si rationes reddi adurcit, tutor vero moras nectens supermoriatur; successoribus incumbit onus responsionis: non item si pupillus perfectae aetatis, tutore vivo, rationes reddendas adurgere neglexit.

SCHOL. 2. Tutoris ingessivi conditio longe est durior: praeter id enim, quod nihil remunerationis sperandum habet, adhuc eundem onus responsionis quoad culpam etiam levissimam manet. *Legg. citt.*

§. 99.

Modi tutelam finiendi ordinarii et absoluti duo sunt: pro maribus *pubertas* seu legitima aetas (a) pro puellis *matrimonium*; (b) reliqui modi communes sunt, ut mors pupilli vel tutoris, superveniens causa impediens aut prohibens, item remotio tutoris propter suspicionem.

§. 100.

Suspicio vi legum nostrarum (c) est crimen male sinistreque gestae tutelae. Casus
su-

(a) 1-ae: 113. 124. 126. 1655: 24. §. 3. 1715: 68.
§. 9. (b) 1-ae: 112. 113. (c) 1-ae: 123. 124.

suspicionis lege sequentes exprimuntur: si tutor propria bona dissipet, pupillis necessaria non administret, in eos desaeuat, malos praeseferat mores, nimium pauper sit; si inimicitiae capitales inter tutorem et pupillum aut pupilli parentes intercedant; vel metus sit, tutorem ad bona pupillorum sibi vendicanda aspirare. (a) Est vero suspicio alia *dolosa* ex vitio voluntatis, alia *culposa* ex defectu intellectus debita cognitionis, et diligentiae proficiscens, alia demum *simplex*, metum unice pro fundamento habens, ut est suspicio ex nimia paupertate orta. Dolus in materia tutelae committitur aut *circa personam*, et quidem vel in re gravi, uti vita, integritate membrorum, vel nobilitate, aut *circa iura possessionaria*, et quidem vel relate ad proprietatem, vel eorum administrationem. Culpa discernitur in *latam*, *levem* et *levissimam*.

§. 101.

Pro diversitate graduum doli et culpa, praeter tutoris remotionem, tanquam inevitabile consecrarium (b) diversis legibus statutae sunt poenae, circa quas sequentes regulae tenendae: 1. in suspicione dolosa circa personam pupillorum in re gravi, vel circa proprietatem bonorum poena infamiae et dupli

(a) 1-ae: 123. §. 3-9. (b) 1-ae: 125.

dupli cum restitutione sumtuum processu alium obtinet (a). 2. in suspicione dolosa circa administrationem bonorum poena dupli et refusionis expensarum locum habet (b). 3. suspectus e culpa lata vel levi (tutor ingessivus etiam ex levissima) damna simpliciter cum sumtibus processualibus reddit (c). 4. suspicio simplex remotione tantum absolvitur. 5. si durante lite de suspicione tutor decedat, haeredes eius, a poenis personalibus et dupli immunes, tantum ut culposi considerantur (d). 6. legitimi et naturales tutores ad nullas poenas trahuntur, unice removentur (e). 7. pupillus perfectae aetatis, dum de his agitur, poenas remittere potest. (f)

§. 102.

B.) *Curatela* est ius administrandae rei familiaris per puberem alteri sponte delatum.

Conol. Vnde liquet curatelam principaliter circa administrationem rei familiaris versari, et curatorem per ipsum minorem constitui; in quibus principiis omnis doctrina curatela consistit. Huic tamen doctrinae ac definitioni ex legibus patriis 1-ae: 111. 124. desumptae praxis vigens contraria est; hodie

(a) 1-ae: 123. §. 2. *Plan. Tab. ad exig. rat. tut. Dec. 1.* (b) *cit.* 1-ae: 123. §. 1. (c) 1-ae: 115. 1655: 24. 1715: 68. §. 8. (d) 1-ae: 125. §. 2. (e) 1715: 68. 1765: 26. *in fin.* (f) 2-ae: 12.

die enim plerumque qui tutor fuit, deinceps curator manet, quod ultro ex 1792. 17. patescit, ubi constituitur, absque consensu curatoris iuvenem debita contrahere nequire.

§. 103.

Processus e materia tutelae et curatelaer resultant: 1.) *Ad praelationem in tutela ex* 1-ae: 116. 1765: 26. actor ius suum praecipuum, ad testamentum vel constitutionem magistratus vel leges reducendo ostendere debet. Iudex est, qui tutorem dat.

§. 104.

2.) *Ad exigendas rationes tutelares ex* 1-ae: 115. 1715: 68. 1765: 26. Hunc, si tutor rationes debito tempore praesentare negligat, praemissa admonitione iudiciaria suscitatur vel fiscus magistratualis, vel tutor novus, vel pupillus iam legitima aetatis. Absolvitur, si tutor rationes reddat, atque difficultates dilucidationibus resolvat. Iudex, si bona in uno eodemque Comitatu sita sint, est V. Comes vel Iudex nobilium; si vero in diversis Comitatus iaceant, tunc, si annuae rationes exigantur, iudicat iudex comitatensis, qui tutorem dedit, aut in cuius gremio pupillus residet; si autem finales reddendae veniant, iudicat Tabula Districtualis. (a)

§. 105.

(a) 1715: 28. 1765: 26.

§. 105.

3.) *Ad remotionem ex suspicione, vel accusatorius ex suspicione.* Communiter fiscus magistratualis agit, licet lege (a) potestas accusandi cuique concessa habeatur, excepto pupillo ante legitimam aetatem; potest vero omnis tutor, etiam naturalis et legitimus accusari. (b) Accusato, si reus compefiatur, poenae quoque, si petitaer erant, infliguntur; si innocens, provincia tutelae ultro continuandae defertur.

SCHOL. Contra hanc accusationem nulla cautio, nec fideiussoria acceptatur. 1-ae: 125.

§. 106.

4.) *Repositionalia vel repositoio-Successionalia ex 1655. 24.* in quo iudex edocto eo, quod tutor bonum absque summa necessitate alienaverit, sepositis cunctis fassionibus idem adiudicat. Eadem est ratio, si pupillus ipse in suum praeeudicium ius possessionarium alienavit, aut contractus onerosos inivit (c); quo in casu vel pupillus vel tutor ad revindicationem hoc processu procedit.

E 2

§. 107.

(a) 1-ae: 124. (b) 1715: 68. §. 15. 1765: 26.
(c) 1-ae: 126. §. 2. 129. §. 3.

§. 107.

5.) *Ad recuperanda bona ex manibus tutoris aut curatoris cum finalibus rationibus* ex 1655. 24. praemissa iudiciaria admonitione minorenis nihil aliud, quam perfectam aetatem suam probandam habet. Similiter tutor contrariam movet actionem contra pupillum perfectae aetatis vel fiscum magistratualem *ad sextalitatem sibi solvendam, et quod ex suo impendit, restituendum* ex 1715: 68. 1765: 26. perfectam pupilli aetatem probando, vel rationem, quod tutelae amplius gerendae impar sit, adferendo.

§. 108.

6.) *Ad invalidationem transactionis noxiae per tutorem initae* ex 1-ae 127: 1655: 24. Processus hic contra eum, quorum tutor transegit, quique bona tenet, dirigitur; et praeiudicium ac inutilitas transactionis edocenda sunt. Iudex in bonis nobilitaribus est Tabula regia, et respective banalis.

CA-

CAPUT XIII.

DE POTESTATE DOMINICA.

§. 109.

*P*otestas dominica generatim est ius in hominum obnoxiorum personas, res et operas. Unde triplicis esse classis dominos manifestum est; vel enim ius tantum in personas et operas ei est, et tunc *herus*, homo obnoxius *servus, famulus, mercenarius* appellatur; vel in res tantum, et tunc *dominus fundi*, homo obnoxius *taxalista, censualista* audit; vel demum ius habet in personas, res et operas, ubi *dominus terrestris*, et homo obnoxius *colonus, subditus dominalis* dicitur.

§. 110.

I. *Servi*, alias *famuli, mercenarii* dicuntur, qui ratione personarum et operarum pro constanti aliquo tempore dominis obnoxii sunt. Vel necessarii vel spontanei sunt; *necessarii* olim vel nascebantur, vel fiebant, aut per captivitatem bellicam aut per delictum; hodie non nisi proditio fraterni sanguinis, larva et debita ultra vires facultatum contracta e legum (a) dispositione servitutum post se trahunt: *spontanei* operam cum per-

(a) 1-ae: 39. 2-ae: 68. 3-ae: 28. 1723: 46.

personali subiectione pro conventa mercede obstringunt; unde fontes iurium et obligationum in conventionem et sine ac indole assumpti servitii positi sunt.

COROL. 1. Iura dominorum sunt 1. ius est domino pro indole stipulati servitii famulo operas imponendi, et ratione earum omnem attentionem et diligentiam exigendi; negligentem vero, etiam nobilem, castigandi. 2. famulum pro assumpto servitio ineptum ante conventum tempus dimittere potest, eundem autem invitum ultra stipulatum tempus in unico tantum casu, si in exteris provinciis reip. causa moretur, detinendi ius habet. 1552; 11. 1662: 8. - 3. Servus discedere volens ad minus mense iuxta cit. leg. vel iuxta usum quadrante anni prius voluntatem suam manifestare tenetur. 4. Servum ignobilem, delata contra eum querela, ut eiusdem primus iudex, iuri statuere potest, 2-ae. 25. 3-ae: 25. 26. non item nobilem. 5. Servum a dicendo contra se testimonio in criminalibus absolute, in civilibus, si alii sufficientes testes adsint, per exceptionem removet. S. STEPH. L. 2. c. 19. 2-ae: 27. §. 6. 1729: 26. 6. a servo discedente res eius curae commissas una cum rationibus iure repetit, et absque iis discedere parantem, etiam nobilem, vi detinere potest. cit. 1552: 11. 1662: 65.

COROL. 2. Iura Servorum: 1. ius est servo victum conditioni conformem, et vestitum decentem apud eos, qui amictum dant, postulandi; circa quem tamen, ne nimium splendidus sit, lege cautum est. 1723: 66. 2. ius immunitatis a crudelitate heri sui. 3. ius tempore et loco debito dominum suum mutandi, unde et ius ad honestam dimissionem, litterasque dimissoriales. 4. ius conventam mercedem poscendi.

§. 111.

§. 111.

II. Taxalistsae alias Censualistsae sunt homines ignobiles, liberi, in dominorum terrestrium fundos condescendentes (a). Figunt vero domicilium vel penes conventionem, quae illis normam praebet (b), vel absque tali; quo in casu talis condescendisse et dominus eum recepisse censetur, ut par fiat aliis loci incolis eiusdem conditionis, et licet migrandi facultati non renuncia-verit, per dominum tamen, si praestandis non praestitis discedat, sub poena non restitutionis repeti, et donec satisfecerit, retineri potest; demum quamdiu in fundo domini existit, communia onera ferre, et iurisdictionem domini terrestris, licet colonus non sit, agnoscere tenetur. (c)

SCHOL. Nobilis ad fundum domini terrestris condescendens non fit taxalista, verum qua nobilis ratione personae Comitatus, et ratione fundi tantum domini terrestris iurisdictioni subest. 1638: 2. 1647: 22.

§. 112.

III. Coloni, alias subditi, jobbágyones sunt homines pro usu fundorum ipsis concessorum quoad personas, res et operas domino obnoxii. Colonorum conditio, imprimis

(a) 1715: 101. 1723: 61. (b) Math. D. 6. 17.
(c) 3-ae: 25. 26. 1729: 41.

mis ratione *facultatis migrandi* pro diversitate temporum diversa erat: olim iis in eodem Comitatu de loco ad locum migrare integrum fuit, donec ob seditionem rusticanam sub VLADISLAO II. (a) perpetuo coloniatui adscriberentur. FERDINANDUS I. libertatem migrandi postliminio reduxit, ita tamen, ut coloni migrantes voluntatem abeundi officiolatui, aut iudici nobilium praeve aperirent, se non ex odio discedere, iure iurando testarentur, atque cunctis praestandis praestitis litteras ablicentiatórias reciperent (b). Demum, postquam iam restricta, iam iterum reddita fuisset facultas migrandi Iosephus II. Imp. (c), et regnicolae lege sancita (d) perpetuum coloniatum abrogarunt, facultati migrandi haec norma praescripta: colonus migrare volens circa festum S. MICHAELIS Arch. id domino suo insinuare obligatur, et circa festum S. GREGORII Papae, acceptis praeve super dimissione tam a V. Comite, quam a domino suo litteris testimonialibus, novo domino remonstrandis, discedere potest; omnibus vero praestationibus ac debitis ante abitum satisfacere debet, res mobiles secum auferre, immobiles vero sua industria positas vendere, at non tollere permittitur; ne autem per similem migrationem agris vasti-

(a) Vlad. D. 7. 14. seqq. 3. ae: 25. (b) 1547: 26. 1550: 34—39. 1556: 27—33. 1566: 27. 28. (c) ddo. 22. Aug. 1785: (d) 1791: 35.

stitas ac desolatio inferatur, Magistratui Comitatus sollicitè invigilare incumbit

§. 113.

Praestationes dominales colonorum praevis temporibus incertae ac fluxae primam sub VLADISLAO II. (a) regulam acceperunt, quam pro favore rusticorum FERDINANDUS I. in lenius mutaverat; sub regimine MATTHIAE II. (b) dominis conventiones cum colonis inire concessum est; unde maxima in praestationibus diversitas. CAROLUS III. Comitibus commisit, ut sedulo viderent, ne coloni extrarbarialibus exactionibus opprimerentur. M. THERESIA vero SS. et OO. diaetaliter (c) congregatis elaborandum urbarium proposuit, quod ob brevitatem temporis in Comitibus non assumptum, extradiaetaliter elaboratum, publicatum ac per Commissarios inductum fuit; verum, ut extradiaetalis constitutio, nullius erat roboris ac firmitatis, donec legis (d) constitueretur, ut pro norma deserviret, interimalemque legalem vim nanciscatur. Est vero hoc loco *Urbarium* norma publica et communis iurium et obligationum dominos inter et colonos mutuo vigentium; unde liquet cunctorum iurium et obligationum

(a) Vlad. D. 7. 14. seqq. (b) 1608: 13. p. cor. (c) Anno. 1764. (d) 1791: 35. 1792: 12. 1796: 3. 1802: 6. 1805: 3. 1807: 3. 1808: 9. 1812: 3.

num dominorum erga colonos et vicissim fontem ordinarium urbarium, extraordinarium privilegia et contractus esse.

§. 114.

Dominorum a) obligationes erga colonos. 1. Colono integrae Sessionis fundus intravillanus, quo domum, stabulum, horreum extruere possit, unius iugeri, seu in quo duae metretae pos. commode inseminari queunt, competit. 2. adpertinentiae extravillanae iuxta constitutum sessionum iam elaboratum, quorsum extirpaturae non referuntur, adnecti debent. 3. si silvae adsint, ligna focalia colonis, item aedilia pro necessariis aedificiis ac instrumentis per dominum gratuito suppeditantur. 4. pascua sufficientia, ne ad certum determinatum pecorum numerum, in quibus proxima colonorum oeconomia posita est, restringantur, assignanda veniunt. 5. Coloni, si silvis sessionalibus destituantur, in dominalibus silvis eiusdem territorii iure glandes duobus grossis leviori pretio praemendi gaudent; gallarum collectione in silvis dominalibus unice dominum respiciente. 6. Coloni hostilitate, incendio aut alio fato dispersi, redire cupientes, per dominum sub actione fiscali ad recipiendos colonos, et poenam non restitutionis fugitivi coloni recipi debent (a); excepto casu praescriptio-

(a) 1723: 18.

nis, vel si alii idonei iam substituti essent. 7. ut primus coloni iudex tenetur dominus terrestris ad legitimam requisitionem de colonis impensionem praestare; prout vicissim 8. eos defendere (a), et pupillis colonialibus de tutore optimo modo prospicere. (b)

§. 115.

b) Iura circa colonos. 1. Ius est domino adprobatas per urbarium exactiones in operis, censu et productis naturalibus faciendi; negligentes vero ac refractarios colonos poenis adficiendi, quae tamen nunquam in mulcta pecuniaria, excepto casu, si clara lex eandem exposeat, verum ordinarie in labore manuali unius, duorum, trium dierum consistere debet; gravius delinquens colonus 24. ad labores vero dominales seu robotas accersitus, ex negligentia vel malitia sero, aut prorsus non comparens, 12. baculorum ictibus punitur (c); arbitrarias poenas infligere dominus prohibetur (d). 2. Colonos in eodem Comitatu ad alium locum transponere (e), item ad servitia sua vel domestica vel oeconomica erga iustam mercedem adplicare, domino integrum est. 3. Dominus terrestris in omnibus causis suorum subditorum passivis et civili-

(a) 3-ae: 25. 26. 31. (b) *Ex mente* 1715: 68. et *Vrb. punct.* 7. §. 1. (c) *Vrb. punct.* 8. §. 1. 3. 4. (d) 1791: 35. §. 2. (e) 1723: 62.

vilibus tam personalibus, quam realibus est iudex primae instantiae (a); criminales tamen, nisi iure gladii gaudeat, et spirituales non diiudicat. (b) 4. Subditum ob damnum illatum iudicialiter convictum, et secus satisfacere nequeuntem dominus triumphanti tradit (c). 5. Colonos suos cum bonis emtori, ad quem cuncta iura dominalia transeunt, vendere potest. (d) 6. In universis bonis coloni sui deficientis aut notam infidelitatis vel crimen laesae Maiestatis incurrentis successor est dominus (e); prout et omnes res fugitivi coloni, clam discedentis, si eum repetere nolit, occupat. (f) 7. Colonos a testimonio contra se dicendo in criminalibus simpliciter, in civilibus, si sufficientes alii testes adsint, per exceptionem excludit. 8. competit domino ius praemionis, in rebus venalibus coloni, quin tamen ex pretio quidpiam detrahatur aut imputetur. (g) 9. Gaudet demum iure abaeestimationis quoad fundos extrasessionales iuxta normam per leges praescriptam. (h)

SCHOL. Abaeestimatio circa festum Gregorii Papae coram testimonio legali, ac vicinis non interessatis, per rem intelligentes, iuramento obstrictos suscipi debet; qua occasione colonus citandus, au-

(a) 3-ae: 25. 26. (b) 1715: 48. (c) 3-ae: 28.
 (d) 1-ae: 59. 70. (e) 3-ae: 30. 1715: 62.
 (f) 1556: 31. 1715: 101. 1723: 60. (g)
 1723: 15. §. 10. et art. 75. Vrb. punct. 7.
 §. 3. (h) 3-ae: 30. §. 8. 1625: 58. 1655: 48.

audiendus iustae eiusdem difficultates dispiciendae, summaque aestimationalis statim exsolvenda venit. Ctt. legg.

§. 116.

Colonorum a) iura generatim ex correlatis dominorum obligationibus suapte intelliguntur; specialia sunt: 1. quidquid colono a praestationibus publicis et dominalibus residuum est, hoc, ut nobilis suum, qua proprium tenet. (a) 2. Mercedem laborum suorum et meliorationum in fundo iure praetendit. (b) 3. Filiis illegitimae aetatis coloni haeredem substituere possunt (c). 4. Iure educilli certis anni temporibus gaudent. (d) 5. Ad comitatum recurrendi, satisfactionemque postulandi ius habent, si dominus vel eiusdem officiales severitate excedant, aut extraurbanales exactiones faciant. (e)

§. 117.

b) Obligationum aliae sunt personales; aliae labores rusticos, solutiones pecuniarias aliae respiciunt; aliae demum in praestationibus naturalibus consistunt.

§. 118.

(u) Lud. art. 6. 3-ae: 29. 30. (b) 3-ae: 30.
 1655: 48. (c) Ctt. 3-ae: 30. §. 4. (d)
 1550: 36. (e) 1715: 101. 1723: 18. Vrb.
 punct. 9. §. 7.

§. 118.

Obligationes personales. 1. Domino suo colonus omnem cultum ac venerationem exhibere (a), et 2. Iussis eius et officialium morem gerere tenetur, praepriis, si, ut iudicio dominali se sistat, impositum habeat (b), 3. sub iurisdictione dominali fideliter ac constanter persistere obligatur (c), 4. nobilitari cupiens colonus, commendationem domini sui remonstrare debet. (d)

§. 119.

Obligationes respectu laborum dominialium seu robotarum, 1. Colonus integrae Sessionis quavis hebdomada una integra die laborem iugalem praestat, qui in manualementem conversus, duabus diebus absolvitur (e); loco tamen perficiendorum laborum remoto dominus iure exigit, ut labores pro singulis mensibus ad semel praestentur; quemadmodum tempore praecipuorum ruralium laborum colonus ad duplicandas robotas stringi potest, modo quarta laborum pars huius praestanda relinquatur (f). 2. Inquilinus in fundo dominali domum habens 18. do-

(a) S. Steph. L. 2. c. 19. 1729: 26. (b) 2-ae: 23. 3-ae: 26. (c) 1715: 101. 1723: 60. 1791: 35. (d) 1630: 30. (e) Vlad. D. 7. 16. 1548. 34. Vrb. punct. 3. Int. interpret. ddo. 7. Aug. 1766. et 11. Dec. 1767. (f) 1548: 36. Vrb. punct. 3. §. 5. 6.

domo vero destitutus 12. dies laborat (a); in cunctis vero laboribus coloni, aut inquilini, si mercenariam operam locet, ius praemtionis, mercede iusta depensa, domino competit. (b) 3. Quatuor coloni simul quot annis unam longam vecturam, in alium laborem non mutant, ad distantiam per urbarium defixam praestant. (c) 4. E ratione gratuitae lignationis colonus integrae sessionis orgiam unam ad locum, intra dominium determinandum, devehere; iumenta vero non habentium duo unam orgiam secare atque in struem redigere obligantur. 5. Ad venationem urbarialem, ultra triduum tamen non producendam, colonos denominatos concurrere oportet. (d)

Schol. Haec pro Hungaria per Urbarium disposita habentur. In Banatu et Sclavonia mediam operarum partem redimere in coloni libertate positum est.

§. 120.

Obligationes quoad censum. Quilibet colonorum absque discrimine quot annis unum florenum (Füstpénz) domino dependit (e), a singulis alienis, dum crematum urit, duos florenos; ab extirpaturis vero, prout cum domino pepigit, solvit (f); tenentur demum coloni pro

(a) Vrb. punct. 3. §. 8. Int. ddo. 11. Dec. 1767. (b) Vrb. loc. cit. §. 9. (c) Vrb. p. 3. §. 12. 16. (d) Vrb. p. 3. §. 17. (e) Vlad. D. 7. 15. Vrb. p. 4. Int. ddo. 4. Apr. 1768. (f) Vrb. p. 4. §. 7. 8.

pro domini sui in captivitate hostili existentis liberatione moderatum subsidium conferre, prout et ad sumtus dominorum in persona ad diaetam evocatorum concurrere. (a)

§. 121.

Praestationes naturales coloni integrae Sessionis quot annis in depensione duorum pullorum, totidem caponum, duodecim ovorum, mediae butiri puri, atque $\frac{1}{2}$ parte vituli positae sunt; quae victualia extra ordinem etiam in nuptiis domini, vel dominas praestantur. (b) Praeter haec colonus in natura nonam ex productis terrae: ut frugibus, vino, agnellis, haedis, et apibus dependit, qualem dominus etiam a canabibus et lino exigendi ius habet, quam tamen colonus integrae Sess. per 6. libras canabis aut lini in fila ducti redimere potest. (c)

SCHOL. Exactiones extraurbariales, urbarii puncto 7. recensitae simpliciter vetitae atque interdictae sunt.

§. 122.

Processus hinc resultantes sunt. 1. *Urbarialis*, quem lex recentior (d) usitatis prius visitationibus urbarialibus substituit, in eo con-

(a) *Vrb. loco cit.* 1548. 39. (b) *Cit.* 1548: 39; *Vrb. punct.* 4. §. 2. 3. 4. (c) *Lud. art.* 6. *Vrb. punct.* 4. 5. (d) 1792: 12.

consistens, ut colonus urbarialem querelam habens, medelam a domino suo terrestri, tanquam iudice primae instantiae expetat; atque hac decisione minus contentus, querelam ad Comitatum deferat; ubi, si complatio non succedat, negotium per Sedem dominalem decisum, in Sedria assumitur, discutitur ac summarie et praefenter (a) iuste deciditur; unde ad Consilium R. L. H. atque inde medio Cancellariae R. H. A. ad Maiestatem Regiam adpellata conceditur.

§. 123.

2. *Processus ex saevitia* suscitatur coram Sedria ex 1715: 101. 1723: 18. 1791: 35. per fiscum magistratualem contra dominum terrestrem, aut eius officialem, colonos extraurbarialibus exactionibus vexantem, vel in persona laedentem. Probata saevitia, et ex illa profluente oppressione, praeter sumtuum processualium refusionem convincitur dominus terrestris in restitutione illegaliter acceptorum, ac conscientiosa ad mentem legis (b) aestimatione doloris aut detrimenti per verbera causati. Si vero coloni ob domini saevitiam relicto domicilio profugerunt, in eorum homagiis quoque ac restitutione plectitur; quo in casu res mobiles colonorum reli-

(a) 1791: 35. 1792: 12. (b) 1659: 31.

relictæ non domino cedunt, verum in publicam loci utilitatem convertuntur (a).

§. 124.

3. Propter translationem coloni ad alium Comitatum, præmissa sub poena legali admonitione, ex 1723: 62. 1729: 35. coram Sedria per fiscam magistratualem movetur, atque comprobata actionis realitate domini terrestris in transpositi homagio, eius restitutione vel substitutione, ac expensis processus convincitur.

§. 125.

4. Repetitorius fugitivi coloni aut servi suscitatur per dominum vel Comitatum contra eum, qui colonum detinet, vel dolo malo eidem occasionem ultro profugiendi suppeditavit (b). Præmissa admonitione iudiciali cum communicatione inquisitionis collateralis, nomen ac cognomen repetentis, repetiti coloni, detentoris cum eius caractere, locum item unde et quo fugerit, ac repetentis ius dominale in se complectentis, ac respective comprobantis; actio ad repetitionem cum poenis legalibus ex 1556: 31. 1715: 101. 1723: 60. iudicialium porrigitur, atque comprobato ex in-

(a) Plan. Tab. Caus. Magistr. contra dom. terr. ex saevitie. (b) 1556: 31. 1622: 27. 1635: 68. 1638: 67. 1655: 44. 1659: 69. 70. 1715: 101. 1723: 60.

quisitione in processu authenticanda, iure dominicali repetentis, detentor præter restitutionem coloni in 100 fl. ratione singulorum idmodi fugitivorum colonorum, in damnis item ac sumtibus processualibus convincitur. Hac poena inflicta, si restitutio coloni non subsequatur, præmissa admonitione processus ex iisdem legibus iterum movetur, ubi comprobato eo, incattum iam semel convictum, adhuc tamen colonum detinere, poena duplicata, id est 200 florenorum cum refusione damnorum et sumtuum dietatur. Processus quoque tertius coram Vice-Comite suscitatur ex iisdem legibus, si ultro adhuc pertinaciter colonus detineatur, in quo detentor, edocta triplici admonitione et duplici convictione, in illius loci cum appertinentiis amissione convincitur, ita ut colonum repetens, cui talis locus adjudicatur, nonnisi condigna eius aestimatione soluta, ac colono restituto, eundem reddere obligetur.

Schol. 1. Sententia hoc in processu, rescissis omnibus remediis iuridicis, appellata et novo iudicio excepto, executioni mandatur; poenalitatem parte media triumphanti, media iudici cedente.

Schol. 2. Quæ hic de singulari detentore dicta sunt, eadem de L. R. Civitatibus, districtibus atque oppidis haidonicalibus intelligenda sunt. *Legg. cit. et art. Jazy. 4.*

§. 126.

5. Ob receptionem coloni sine litteris dimissorialibus dominus ex 1715: 35.; pro-

cessus vero 6. ad receptionem colonorum fato dispersorum ac redire volentium ex 1723: 18. ac 7. si colonum legitime discedere volentem dominus vi detineat ex 1556: 30. et sensu 1791: 35. fiscus magistratualis ad triplicatam §. priori expositam poenam suscitatur.

CAPUT XIV. DE FISCO REGIO.

§. 127.

Fiscus regius, ut director causarum regalium, seu S. Coronae fiscalis, est persona ad agendas, dirigendasque causas circa bona et iura regia emergentes, excessus item republicae perniciosos vindicandos constituta.

Corol. Geminum fisci regii officium patet: respectu utriusque peculiaribus privilegiis ac iuribus gaudet.

§. 128.

Iura fisci regii ratione bonorum regionum defendendorum. 1. de bonis ante annum 1715. in fiscum redactis, nisi altissimo loco causa ad commune forum relegatur, non respondet. (a) 2. per legem (b) ab onere

(a) 1715: 9. 60. 65. relate ad 1687: 7. (b) 2ae: 39. §. 3.

re probandi simpliciter relevatur; in petitorio tamen constitutus sensu decisionum curialium probare tenetur. (a) 3. in processu iuramentum regis loco deponit, et qua talis in sententia capitali vel emenda capitis aut bonorum amissione nunquam convincitur (b). 4. ad sumtus, si succumbat, refundendos, non adstringitur (c); prout vicissim partem ex oneribus adversario eius impositis, sibi obvientem iudici relinquit, demittis unice sumtibus pro expeditione litterarum sententionalium factis (d). 5. ex praxi et sensu legum (e) procuratores in causis fisealibus constituit, ac revocat; atque transactiones cum parte adversa valide init, negotio nonnisi gravioris indaginis prius cum Camera Reg. H. A. communicato. 6. in Tabula regia, ut iuribus regiis invigilare queat, sessionem capit. (f) 7. Causae fisci regii activae sunt privilegiatae et extraseriales (g). 8. est legalis successor cunctarum personarum liberarum in semine deficientium, aut notam vel crimen incurrentium; civibus etiam ex nota vel crimine, non tamen defectu (h), colonis autem nunquam succedit. (i) 9. Tempore belli iure praecarendandi in con-

(a) Plan. Tab. de act. fise. reg. Dec. 7. 13. 16.
(b) 2-ae: 39. §. 1. 2. (c) Ex usu. (d) Kit. C. 1. quaest. 4. §. fin. (e) 2-ae: 15. 1729: 24. (f) Alb. 23. 1723: 19. §. 4. (g) 1729: 43. (h) 1-ae: 10. 13. 14. 1649: 16. 1715: 25. (i) 1715: 62.

confiniis, etiam prae domino terrestri gaudet (a). 10. fiscum vel eius officialem, licet ignobilem, in functione legitime procedentem verberans, vulnerans, vi detinens, olim notam, hodie maiorem potentiam incurrit (b). 11. ius et obligationem habet bona coronalia, fiscalia et alia iura regalia per quemcunque illegitime usurpata vindicandi (c); palatinales item donationes, legi non conformes, impugnandi et bona donata S. Coronae reapplicandi (d).

Schol. Bona, circa quae fiscus regius directionem in iuridicis habet, sunt: 1. *bona coronalia*, quae iuxta VLAD. D. 7. 1. 2. 3. inalienabilia sunt. 2. *bona fiscalia*, quae rex vi 1-ae. 13. sibi retinere, vel bene meritis patriae civibus donare potest. 3. *bona patrimonialia*, quae rex, ut privatus dominus terrestris tenet. *Bonorum quoque politico-fundamentalium*, quae proprium suum Causarum Directorem, ob participationem tamen praerogativarum causas sub nomine fisci regii promoventem constitutum habent, inspectionem rex sibi reservavit. 1715: 14. 1723: 71. 1729: 21.

§. 129.

Relate ad aliud munus suum, *securitatem publicam procurandam* fiscus regius 1. contra eriminis et notae reos poenam captivis et amissionis honorum petit (e). 2. desumit

(a) 1715: 11. (b) VLAD. D. 1. 70. 1715: 55. 1723: 10. (c) VLAD. D. 7. 1. 2. 3. 1-ae: 23. 24. 64. (d) 1715: 33. (e) S. Steph. L. 2. c. 35. 51. 1601: 35. 1-ae: 13. 14. 1715: 7. 9. 1723: 9. 1741: 26.

sumit poenam amissionis honorum a peierantibus in praeiudicium iurisdictionis S. Coronae (a). 3. induciarum violatoribus mortis poenam dictari flagitat. (b) 4. Iure gladii, aliove privilegio abutentes in privatione privilegii, et damnorum illatorum compensatione convinci postulat (c). 5. usurariam pravitatem, processu ad amissionem interusurii et capitalis suscitato, compescit (d). 6. Civitates, nobiles ab acquirendis fundis arcetes, vel homines habiles alterius linguae ab officiis excludentes, in poena bis mille florenorum toties quoties convinci curat (e).

§. 130.

Ne haec fisci regii ampla, atque eximia iura regnicolis quodpiam detrimentum adferant, iustis sunt circumscripta limitibus; unde fiscus regius bona regnicolarum, excepto solo et unico casu *manifesti defectus seminis*, via facti occupare prohibetur (f); coram quocunque iudice legali pro indole causae iuri stare debet (g), causantibus ordinariam iuris viam praeccludere vel quocunque modo impedire (h), aut regnicolas ad fo-

(a) 2-ae: 30. (b) 1536: 52. (c) 2-ae: 12. 1715. 48. (d) 1715: 51. 1723: 120. (e) 1608: 13. a. c. 1609: 44. 1613: 40. 1655: 34. 1659: 49. (f) 1597: 27. 1681: 31. 1715: 7. 9. 25. 26. (g) 1741: 23. (h) Math. D. 3. 12. 1566: 35. 1723: 51.

4.) Tam avitae, quam acquisitae vel sunt *donationales*, vel *extradonationales*; et quidem

5.) Vel *utriusque sexus*, vel *sexus tantum masculini*.

6.) *Aliae principales* sunt, *aliae accessoriae* (a).

§. 132.

Omne ius circa res vel est *ius in re*, seu facultas in rem ipsam competens absque respectu ad certam personam; vel *ius ad rem*, seu facultas competens personae in certam personam, ut haec quidpiam praestare, dare, facere vel omittere debeat (b). Ius ad rem vel ex facto licito, vel illicito enascitur; unde sponte sua fluit *partitio Libri II. in tres sectiones*: de iure in re; de iure ad rem ex factis licitis; ac de iure ad rem ex factis illicitis, seu delictis, quorum privata nonnisi et publica politica exponemus.

(a) P. 2. tit. 52. (b) Io. GOTTL. HEINECCI
El. iur. civ. sec. ord. Instit. edit. legit.
quart. §. 280.

SECTIO I.

DE IVRE IN RE.

CAPVT II.

DE DOMINIO IN GENERE, EIVSQVE ACQUI-
RENDI MODIS NATVRALIBVS.

§. 133.

Dominium est ius de ipsius rei substantia et consecrariis pro arbitrio disponendi (a).

1.) Aliud est *eminens*, regi in casibus extraordinariis in universas res suorum subditorum; aliud *vulgare* privatis in res suas competens,

2.) *Solitarium*, vel *condominium*; hoc vel *dividuum*, vel *individuum*.

3.) *Illimitatum*, vel *limitatum*, libertate disponendi *lege* vel *contractu* vel *testamento* restricta.

4.) *Plenum* aut *minus plenum*; vel proprietatem tantum (*directum*) vel utilitatem tantum (*utile*) habet.

§. 134.

(a) MARTINI cit. op. §. 422.

§. 134.

Ad quodvis dominium acquirendum requiritur *titulus*, seu causa, unde ratio de iustitia acquisitionis redditur; et *modus*, seu medium sufficiens ad acquisitionem. (a)

§. 135.

Modi acquirendi dominii alii sunt *naturales*, *civiles* alii; naturales alii *originarii*, dum res prius nullius obtinetur, alii *derivativi*; illi vel sunt *simpliciter originarii*, dum res haec quoad substantiam prorsus nullius acquiritur: uti est occupatio, cuius duae species sunt: venatio, et inventio, vel *secundum quid tales*, dum rei in dominio existenti quidpiam accedit; quod accessio dicitur.

§. 136.

A.) *Venatio* generatim est ferarum bestiarum investigatio, persecutio et occupatio. Legibus circa venationem norma haec constituta habetur. 1.) Dominus terrestris in suo territorio quovis tempore quasvis species ferarum et avium quocumque modo liberrime venari potest, modo colono aut tertio damnum non inferat; unde in agris a tempore in-

(a) MART. op. cit. §. 424.

seminationis usque finem messis, in pratis a 24. Aprilis usque collectionem foeni, in vineis a 1. Februarii usque finem vindemiarum nemini, venari licet. (a)

§. 137.

2.) Dominus terrestris totius dominii sui, aut cuiusvis territorii mediam partem pro sua venatione exclusive reservare potest; aliam tamen mediam partem pro communi nobilium venatione liberam relinquere obligatur. In parte prohibita, per tabellas medio exmissorum membrorum Comitatus expositas designata, sub poena violentiae, bonificationis interfectarum ferarum, et resolutionis sumtuum processualium toties quoties venari vetitum est. (b)

§. 138.

3.) In parte alieni territorii non prohibita quisque nobilis tam ipse cum uno, alterove domestico et canibus, quam per alium suum familiarem hominem licite venatur, et ita venantem nobilem turbans poenam violentiae, ut illegitime venans, incurrit. (c) Obligatur tamen nobilis in fundo alieno venans, foetificationum tempora, legibus expressa observare; unde *cervos mares* a 15.

Se-

(c) 1802: 24. §. 2. 5. 1729: 22. (b) 1802: 24. §. 2. (c) 1729: 22. 1802: 24. §. 3. 8.

Septembris usque 1. Iunii, *foemellas* a 1. Ianuarii usque 1. Septembris, *lepores* a 1. Februarii usque finem messis; *damas foemellas* a 1. Martii usque medium Maii venari vetitum est. Si tamen nobili in peregrinatione constituto fera penes viam publicam occurrat, eandem, nec ad tempus foetificationum, nec ad locum prohibitum advertendo, licite traicere potest; unde tamen excipiuntur a) ferae clausae b), perdices ac phasiani, ubi peculiariter per dominum aluntur (a).

§. 139.

4.) Venatio etiam superioribus officialibus militaribus iuxta regulamentum (b) et cirt. legg. competit, ita, ut iisdem tantum in territorio sui hospitii, et quidem nec ibi absque indultu domini terrestris, si is constanter ibi resideat, et non nisi in persona in dumetis tantum et campis, non item in silvis venari liceat; species, loca et tempora nobilibus vetita, et insuper aprorum foetificationis tempus a 2. Februarii usque 16. Octobris in regula pro iis additum, stricte observare tenentur; et quemadmodum omnem venationem sine incommodo incolarum instituere debent; ita perdicum et phasianorum venatio illis simpliciter interdicta est.

§. 140.

(a) 1802: 24. §. 7. 1729: 22. §. 6. (b) *Eiusd.* art. 11.

§. 140.

5.) Rusticis iam per Wladislai leges (a), et per recentiores generatim omnibus ignobilibus venatio prohibetur; colonus vel canes venaticos servans poenam 3 fl. lit, quam dominus desumere obligatur (b).

SCHOL. Processus in hac materia praecipuus est *violentialis*, quem movet a) dominus laesus contra illicite venantem ex 1729: 22. et 1802: 24. et probato specifico illegitimae venationis actu, incatus in poenis violentiae, refusione damni ferarum traictarum et sumtibus processualibus vincitur; debet vero ex diserta legis dispositione totus processus, intra duos iudiciorum terminos terminari. b) in licita venatione turbatus contra turbatorem ex iisdem legg. c) qui damna per feras sibi illata reparari petiit.

§. 141.

B.) *Inventio* est apprehensio rei inanimatae mobilis, hactenus nullius. Inventionis obiecta esse possunt: 1.) *Res nullius*, quae inventori cedunt. 2.) *Res derelictae*, hae quoque inventoris sunt. 3.) *Res deperditae*, quae domino suo reddendae sunt. 4.) *Res reconditae*, quas inter *thesaurus*, seu res pretiosa dudum deposita, cuius nec memoria exstat, nec dominus scitur, notari debet; de quo, legibus patriis nihil specificè constituentibus, M. The-

(a) *Vlad. D.* 5: 18. (b) 1729: 22. §. 1. 12. 1802: 24. §. 1. 12.

Theresia Imp. et R. sequentem extradiäetalem ordinationem fecit: a) thesaurum in valore centum imperiales non excedentem, inventor et fundi dominus dividant; b) valorem hanc superantis partem tertiam fiscus, reliquas inventor et fundi dominus capiunt; c.) inventor thesaurum occultans, fraude detecta totum amittit; si vero fundum alterius laedat, partem inventoris dominus fundi adimit.

*Sura
L. 1715.*

§. 142.

5.) *Res hactenus latentes*, inter quas res fossiles et metalla praecipuam subeunt considerationem. a) *Salis fodinae* omnes, ubicunque in patria nostra sint, aut deinceps reperiantur, ad iurisdictionem S. Coronae pertinent (a); imo ne proventus regii falcidiam patiantur, salem ex aliis regnis inferre cautum est (b), Comitatus nonnisi Thuroez, Arva, et Liptó sale polonico (c); Croatia item et Sclavonia sale marino uti permittuntur (d). b) *fodinae auri, argenti* etc. antiquae sunt omnes regiae et inalienabiles; recentiores fodinas etiam privati erga praestandas urburas possidere possunt.

§. 143.

(a) *Vlad. D. 1: 30. D. 7: 1. §. 1. 7. 9.* (b) *Sig. D. 2. 20. D. 3: 8.* (c) 1548: 29. 1681: 15. 1715: 13. (d) 1635: 45. 1715: 23.

§. 143.

C.) *Accessio* est incrementum rei nostrae adiunctum; pro diversitate causarum prodecentium est *naturalis, industrialis, mixta*. Generatim, quae ex re nostra proveniunt, iuxta id: *accessorium sequitur suum principale*, sunt nostra (a); si tamen incrementum aliunde adveniens certae sit originis, domino suo reddi debet (b); si contra res accrescens mutata in figura, ac superficie originis suae indicia nulla praebeat, domino, cuius rei adiungitur, cedit.

SCHOL. Ad accessiones naturales referuntur fructus animalium, insula, alluvio, vis fluminis, alvei mutatio. Vid. *Martini op. cit. §. 444.* item 1-ae: 87. 1625: 20. 1655: 81. In industrialibus ac mixtis leges generales obtinent, uti prol. tit. 5. *ius suum cuique tribuendum: 1-ae: 60. quisque iuribus suis libere uti potest, et aliae.*

§. 144.

Ad modos dominium acquirendi derivativos pertinet a) *translatio*, id est actus quo quis rem suam in aliam transfert; quae materia ad leges generales de contractibus sonantes revocanda est (c). b) *servitus*, seu ius in re aliena consistens, quo dominus in re sua

(a) 2-ae: 52. (b) 1-ae: 87. (c) *Math. D. 6: 17. Vlad. D. 1: 38.*

sua aliquid pati vel non facere tenetur. De diversis servitutum speciebus fuse in iure civili Romano disseritur; apud nos sedulo inquirendum, unde servitus arcessenda veniat: an ex contractu (a), aut testamento (b) aut usu (c); pro qua diversitate variae leges obtinent.

C A P V T III.

DE DONATIONIBVS, PRAECIPVE PVBLICIS.

§. 145.

Donatio in genere est translatio gratuita substantiae rei nostrae in alium. Alia est publica, alia privata; pura item aut mixta; alia inter vivos absque mortalitatis consideratione facta; alia mortis causa, cui conditio mortis et non revocatae voluntatis semper inest.

§. 146.

Donatio regia, ut modus acquirendi domini, est collatio iuris possessionarii in iurisdictionem S. Coronae regni devoluti, vel deinceps devolvendi per Principem personae

(a) Math. D. 6: 17. Vlad. D. 1: 38. 1723: 31.
(b) 1647: 126. (c) 1-ae: 68.

nae habili iure perpetuo ac privilegiali facta, ac legitima statutione firmata.

Schol. Praeter merita, quae semper tam nobilitatis, quam honorum collationis fundamentum esse debent, donatarius indigena et persona singularis sit, oportet; manibus enim mortuis donationes conferri Vlad. D. 3. 55. 1647: 17. 1715: 16. ventantur; prout et personis, quae litteralia documenta suorum principalium volvunt, et ex iis imbecillitatem iuris cognoscere queunt, donationes impertiri, legibus cautum est. 1609: 36. 1655: 24. 32. Plan. Tab. ad dand. v. recip. contrad. rat. Dec. 30. 31.

§. 147.

Requisita donationum regiarum praeter communia omnium privilegiorum, peculiariora sunt:

1.) Quaevis donatio clausulas lege praescriptas vel consuetudine inductas continere debet; tales sunt a) salvificatoria: salvo iure alieno (a), b) si ad aliquam arcem nostram regiam vel Ecclesiam Dei non pertineat. c) Iustificatoria: praemissis sic, ut refertur, stantibus, seque habentibus (b); d) iurium declarativa: dono tibi, tuisque haeredibus ac posteritatibus, addendo vel omittendo utriusque sexus.

2.) Clausulae lege reprobatae ac veteri stilo repugnantes donationi insertae non sint;

G 2

plu-

(a) 1-ae: 29. 2-ae: 9. §. 2. (b) 1-ae: 26. 27.
§. 9. 2-ae: 12.

plures tales inseri coeperunt (a); peculiari-
ter in legibus (b) memorata: *de manibus*
nostris regiis, propter abusum damnatur.

3.) Titulus, ex quo impetratio facta est,
in donatione exprimitur; sunt autem quin-
que legales: *ius regium* (c), *defectus semi-*
nis (d), *nota infidelitatis* (e), *nova donatio*
(f), *consensus regius* (g). Recentius Exc.
Cancellaria R. H. A. sextum titulum *ius arma-*
rum induxit, quem etiam Exc. Curia Reg.
adprobavit.

§. 148.

Effectus donationum regiarum relate
ad acquisitionem domini consistunt in iure
firmo ac vera fundi proprietate, quam impe-
trator adipiscitur, ut nemo alius valide il-
lorum bonorum impetrationem facere possit;
eo ipso donatarius cuncta iura domini circa
bona donata, uti et iurisdictionem domina-
lem in colonos suos consequitur; ac relate
ad familiam suam fit veri nominis acquiritor
bonorum donatorum, de iisque libere dispo-
nit.

§. 149.

(a) 1608: 9. *ant. cor.* 1647: 122. (b) *Math.*
D. 6: 23. *Vlad. D.* 1: 60. (c) 1-ae: 24.
25. (d) 1-ae: 13. 22. 26. 29. 30. (e)
1-ae: 13. 16. 24. (f) 1-ae: 36. *seqq.* (g)
1-ae: 8. 64.

§. 149.

Tituli donationum, tanquam basis et
fundamentum, peculiarem exposcunt atten-
tionem.

I. *Ius regium* est iurisdictio S. Coro-
nae in bonis ad eandem titulo iam quidem
enato, sed ad suam speciem deinceps redu-
cendo devolutis consistens. Aliud est *latens*,
dum bona ad S. coronam *de iure tantum*;
aliud *clarum*, dum *de iure simul et facto*
devoluta sunt, seu dum fiscus eadem iam oc-
cupavit. *Ius regium* ex fonte alterutro notae
vel defectus resultat, et ideo, si probandum
est, ad suum fontem reduci debet.

§. 150.

Donatio ex titulo iuris regii, est liberali-
tas, qua rex bonum ~~cum hac peculiari clau-~~
sula confert: *totum et omne ius nostrum*
regium, quod in iisdem bonis haberemus,
et nostram ex quibuscunque causis, modis
et rationibus concerneret Maiestatem, da-
mus, donamus, conferimus.

SCHOL. 1. Quilibet titulum peculiarem suam
characteristicam habet clausulam, per quam ab aliis
discriminatur.

SCHOL. 2. Donatio vel *principaliter* vel *adne-*
xive tantum ex iure regio fieri potest; omnibus enim
reliquis donationum titulis salubriter coniungitur
ius regium; nam si impetratio principaliter ex iure
regio facta est, tunc iure regio non probato et do-
natio

natio intercedit, et insuper impetrator, adversario ius suum firmum probante, in poena perennalis aestimationis iuxta 1-ae: 25. punitur; sin adnexe tantum, tunc everso etiam principali impetrationis titulo e. g. defectu, adhuc donatio ex iure regio defendi potest; et hoc etiam titulo everso poena perennalis aestimationis locum non habet, nisi iuri regio *ampliori processu*, i. e. etiam penes remedia iuridica, et *pertinaciter*, i. e. per totum causae decursum nullam favorabilem sententiam accipiendo, inhaeserit. 1-ae: 26. §. 2.

§. 151.

II. *Defectus seminis* est familiae in ultima quapiam persona totalis et physica extinctio. Defectus seminis vel est sexus tantum masculini, quod per *defecit semen*, vel etiam sexus foeminini, quod addito *utriusque sexus* exprimitur.

~~Donatio ex titulo defectus seminis~~ §. 152.

Donatio ex titulo defectus seminis est liberalitas, qua rex bonum confert sub hac clausula: *per defectum seminis N. N. addendo vel omittendo utriusque sexus, donamus, conferimus, etc.*

SCHOL. Ut donatio ex defectu seminis facta robur habeat, necessum est, familiam deficientem ius firmum in bono donato habuisse. Si donatio ex hoc titulo etiam ius regium adnexum habeat, everso defectus titulo, poena 1-ae: 25., nonnisi tunc, si donatarius iuri regio *ampliori processu* et *pertinaciter* inhaeserit, locum habet. 1-ae: 26. §. 4.

§. 153.

§. 153.

III. *Nota infidelitatis* latius sumpta, est delictum, quo quis in Principis vel Regni salutem perniciosi quidquam machinatur (a). Poena est amissio vitae et honorum quoad portionem delinquentis (b).

§. 154.

Donatio ex titulo notae infidelitatis est regis liberalitas, bonum cum hac clausula conferens *per notam infidelitatis N. N. donamus etc.*

SCHOL. 1. Licet fiscus notorii bona vi 1-ae: 9. et 1723: 5. ante convictionem apprehendere nequeat, impetratio tamen ex hoc titulo, antequam nota iudicialiter comprobata fuerit, fieri potest. 1-ae: 25. et plur. Dec.

SCHOL. 2. Impetratione ex unico titulo notae facta, si hic titulus cadat, poena perennalis aestimationis 1-ae: 25. nonnisi tunc obtinet, *si liti cedere noluerit*; h. e. si ante definitivam Sententiam litem non deseruerit. Ex similit. 2-ae: 82. 1729: 40. — Si ius regium adnexum sit, idem, quod in prioribus supra dictum est, obtinet.

§. 155.

IV. *Nova donatio* est regis liberalitas, bonum iam prius diu et pacifice possessum de recenti tribuens cum clausula: *in cuius boni*

(a) 1-ae: 52. §. 2. (b) 2-ae: 44. 1723: 9.

boni pacifico dominio suos progenitores perstitisse, sequē etiam existere asserit de praesenti.

SCHOL. 1. Sufficit, si vel impetrator bonum illud diu et pacifice possederit; ratio enim legis est, ut ex longinquitate temporis, quae in una etiam persona adesse potest, iusti tituli praesumptio esse possit. *Plan. Tab. ad dand. vel recip. contrad. rat. Dec. 44.*

SCHOL. 2. Nova donatio respectu fisci est vera iurisdictionis S. Coronae collatio et iuris solidi acquisitio, unde omne ius regium exhaurit; respectu familiae est prioris iuris roboratio ac consolidatio; unde nullam inducit mutationem, nec indolem honorum variat, nec ad foeminas ex possessorio excludendas sufficit, etiam si pro uno sexu tantum impetratio facta esset; et etiam si occasione stationis foeminae non contradixissent. *1-ae: 37. §. 12. 1659: 36.*

SCHOL. 3. Si unice hoc ex titulo facta donatio corrumpat, addit *1-ae: 37. §. 9. impetrator ille tamquam falsus et mendax acriter puniendus est; quae poena, prout impetratio vel in praesudicium sanguinis vel iuris regii facta est, variat. Si ius regium adnectatur, quod supra, observandum.*

§. 156.

V. *Consensus regius* est voluntas Principis privilegio declarata, qua translationem iuris possessionarii, relate ad fiscum non liberae dispositionis, in alium transferri indulget, vel factam confirmat.

§. 157.

§. 157.

Donatio ex consensu est liberalitas, qua Rex privatae translationi boni alicuius annuendo, eventuali quoad illud bonum iurisdictioni S. Coronae cedit, cum hac clausula: *cui quidem fassioni vel testamento nostrum consensum regium praebuimus, imo praebemus assensum benevolum.*

COROL. Fessione idmodi, aut testamento, vel cambio invalidato, consensum quoque regium nihil opitulari, manifestum est. *2-ae: 83. §. 3.*

SCHOL. Donatio ex consensu regio tam ratione titularum, quam stili diversimode expediri assolet; vel enim ex unico hoc titulo, vel secundum *1-ae: 63. §. 5.* cum adnexo iure regio fit donatio, quo in casu de poena *1-ae: 25.* eadem, quae superius dicta sunt, obtinent; expediuntur item consensuales vel cum insertione documenti privati translationem continentis, vel sine; prior expeditio est praefenda. *1-ae: 34. 35.*

§. 158.

Donatio palatinalis est liberalitas, qua regni PALATINUS vi publici huius muneris ius possessionarium ad S. Coronam regni devolutum cuiquam confert. Obiectum huius donationis 32. Sess. Colon. excedere nequit (a), nec actu et de facto iam ad fiscum devolutum bonum esse potest (b); nec PALATINUS

(a) 1715: 33. (b) 1723: 4.

TINUS maius corpus dividere et partes conferre, nec uni eidemque personae iterum donationem impertiri potest; atque donationes tales, semper purae, praeter id, quod requisita, clausulasque donationum regiarum, quarum naturam imitantur, continere debeant, vel per PALATINUM vel donarium medio Cancellariae R. H. A. Camerae et Fisco intra annum olim sub poena nullitatis (a) insinuandae sunt (b).

SCHOL. Cum ius nobilitandi tantum Regi competat; donatio palatinalis, ut stabilia sit, nobilitari debet; casum in contrarium donarius praestita aestimatione per quemvis nobilem ex titulo incapacitatis eifici poterit.

CAPVT IV.

DE STATVTIONE.

§. 159.

Statutio est impetratoris donarii in bona perennaliter sibi collata legitima introductio. Vt legitima sit:

§. 160.

1. Duae, simul constitutae idoneae personae, utpote homo *Regius* et homo *Capitalaris*

(a) 1715: 33. (b) 1741: 20.

laris statutionem peragere debent (a). [Hae personae certis dotibus instructae sint, oportet.

§. 161.

A.) Homo regius nobilis, et in illo Comitatu, ubi Statutionem peragit, possessionatus esse debet; quae tamen qualitas in exempto Tabulae R. Iurato Notario non requiritur; debet porro mandato Statutorio vel a donante Rege, PALATINO, Abbate, vel iudice Regni ordinario, in quo pro tali denominatur, quamque provinciam denominatus sub poena hodie sex marcarum praeter refusionem sumtuum processualium suscipere tenetur (b), provisus esse; quod vel cum clausula: *cum nos attentis et consideratis fidelibus* etc., vel *Dicitur nobis* expeditur: illud ipse donans elargitur, efficaciam per totum annum retinet, plenamque, cum ipsam donationem in se complectatur, probandi vim habet; hoc per 60. dies robur habens, nullamque qua provocans sine provocato probam praestans (c), iudex regni ordinarius expedire solet.

§. 162.

B.) Homo capitularis seu testimonium Capituli vel Conventus ex tali Capitulo, quod pu-

(a) *Math. D. 6: 8. Vlad. D. 1: 43. 1559: 50. 1723: 39.* (b) *Vlad. D. 1. 43. §. 7.* (c) *1. ae: 33. 34.*

publicam sigillum, archivum, proinde auctoritatem tales functiones peragendi habet, quodque minimum quinque membra numerat (a), et cuius ipse verum membrum est, sub iuramento, quod deponit, dum in membrum eiusmodi collegii suscipitur, et quidem sub nullitate actus (b) exmitti debet; qualis exmissio dorso mandati statutorii inscribitur, ac per duo tria membra subscribitur (c). In tali intra districtam tantum loci authentici (d) valide exmisso praeter maturitatem, etiam iurium peritia, quantum ad tales functiones necessum est, requiritur (e).

§. 163.

II. *Tempus.* Nisi statutio intra annum fiat, tota donatio obsolescit (f). Annus ab expeditione donationis, etiam in consensu regio, si actui a nulla conditione pendenti inducatur; secus in hoc a die eventus conditionis computatur.

§. 164.

III. *Locus.* Statutio semper in facie loci h. e. ipso loco donato fieri debet (g); excepto

(a) *Vlad. D.* 1: 43. 1552: 41. 1723: 39. §. 5-6.
 (b) 1559: 50. (c) 1723: 39. §. 3. et cilt.
 (d) 1723: 40. (e) *Vlad. D.* 3: 67. 1741: 15. 25. 1765: 11. et cilt. (f) 1-ae: 30. 32. 63. 66. et 2-ae: 11-12. (g) 1-ae: 30. §. 3. 1563: 45. 1647: 136.

cepto casu, si in loco donato hostis grassetur, cui Exe. Curia Reg. (a) aequiparavit pestem; quo statutio in vicinia et quidem loco celebrandarum Comitatus congregationum, convocatis personis magistratualibus, peragenda venit (b).

§. 165.

IV. *Modus.* Statutio palam publice, convocatis vicinis, de die peragenda est; casum in contrarium donatarius, ut auctor doli et clandestinitatis ad Tabulam R. evocatus, in perennali honorum aestimatione convincitur (c).

con vocari debet vicini et contrarij per hanc Regiam per vicinos vocati tenentur
 Schol. Pro clandestina habetur etiam in bono comparatis eorum facta statutio, qui reip. causa e. *sub poena* in legatione procul absunt.

§. 166. *N. Com.*

V. *Cerimoniae in ipso statutionis actu fieri solitae*, sub quibus more ab antiquo usitato donatarius per hominem regium, et Capitularem in bona donata inducitur; in quibus, tum ut donatio usu roboretur, tum ut contradicere volentes contradicere possint, tam statuentes, quam convocati triduo permanere solent.

§. 167.

(a) *Plan. Tab. ad dand. v. rec. contr. rat.* Dec. 28. (b) 1647: 136. (c) *Cit.* 1563: 45. 1647: 136.

§. 167.

VI. *Ipsa relatio*, 15.a ab inchoata statione die praestita, historiam totius stationis eo quoque adnotato, an aliquis vel nullus contradictor adfuerit, complectitur; perque statuentes, deposito prius de sinceritate iuramento, Capitulo tradita, ibi relegitur, atque per duas, ab exmissa distinctas personas ad archivum reponitur; unde donatario intra annum absque omni mandato *litterae relatorio-testimoniales* extradantur, quae, ut valeant, diserte exprimere debent, relationem sub iuramento praestitam esse (a).

§. 168

Statutio vel est *pura*, vel *purisata*, vel *contradicta* seu *vulnerata*. *Purae*, dum nemo contradixit; et *purisatae*, dum contradictionis interpositae vis vel morte contradictoris vel revocatione cessavit; effectus est ingressus in bona donata, fructuumque perceptio; *contradicta* autem, donec vis contradictionis perdurat, donationem *inbellem* et *vulneratam* reddit.

Schol. Error stationis accidentalis intra annum penes mandatum correctorium, per modum continuationis corrigi potest; substantialis, non nisi impetrato novo mandato statutorio, et statione
de

(a) Sig. D. 6: 8. §. 3. Math. D. 6: 10. Vlad. D. 1: 42. 1559: 50. 1723: 39. §. 13.

de novo peracta tollitur; casum in contrarium evolutum anno omnis donationis vis evanescit. Fisco tamen ex omnia vel vitiosa statione, ex eo quod ei plures successionis tituli praeter defectum et notam non competunt, actio non exsurgit. *Plan. Tab. de act. fisc. reg. Dec. 2. et 28.*

CAPUT V.

DE CONTRADICTIONE.

§. 169.

Contradictio, hoc loco est dissentientis voluntatis declaratio ad facillime sustentandum ius et avertendum praedictum donationi ac stationi alterius opposita. *Fatalis*, ab inchoata statione intra quindecim, ideo fatales nuncupatos dies, interposita donationem ita vulnerat, ut ea perdurante in vim firmi privilegii, abire nequeat, atque ex possessorio interposita contradictorem ita tuetur; ut donatario eundem sub poena praestandae communis impetratorum beno- rum aestimationis eicere cautum sit (a). *Non fatalis* ius contradictoris sustentat quidem, stationem tamen puram relinquit; unde contradictori tali extra possessorium litigandum est, nisi processu coram Tabula
Re-

(a) Math. D. 4: 8. D. 5: 15. D. 6: 22. 27. Vlad. D. 1: 59. 1635: 91. 1649: 59.

Regia suscitato ostendat, se prius in pacifico boni possessorio exstitisse, et de statione nihil seivisse (a).

§. 170.

Processus praecipui sunt: 1.) *Ex puritate stationis* ad illocationem in possessorium coram Tabula Districtuali (b) suscitatur; et ex litteris relatorio-testimonialibus puritas stationis probatur; foeminae tamen, etiamsi contradicere neglexissent, ex possessorio eici nequeant, nisi bona saltem sexus masculini esse comprobetur (c). 2.) *Ad reivindicationem bonorum contra oppositam stationi contradictionem occupatorum;* ex MATH. D. 5:15. D. 6:27. coram iudice successionali per contradictorem suscitatur; qui in possessorium reponetur, donatario in communi illorum bonorum aestimatione convicto.

§. 171.

3.) *Ad dandam vel recipiendam Contradictionis rationem:* illum donatarius, si ob contradictionem se in possessorium collocare nequeat; hunc contradictor extra possessorium constitutus movet; utriusque processus eadem est indoles; suscitatur ex 1-ae:30. Sig.

(a) 1563:46. (b) 1715:28. (c) Plan. Tab. ex pur. stat. Dec. 1. et 1-ae:37.

SIG. D. 6:17. MATH. D. 5:15. D. 6:27. VLAD. D. 1:63. 1563:46. 47. coram Tabula regia, cum iurium et privilegiorum discussio subversetur (a); cumque in his uterque colligantium, bonum ad se pertinere asserens, pro actore habeatur (b), iuxta principium per Exo. Curiam R. assumptum: *in pari causa melior est conditio possidentis*, extra possessorium constituto proba praestanda incumbit (c); circa quam ad haec advertendum est:

§. 172.

A.) *Donatarius* extra possessorium constitutus pro diversitate titulorum impetrationis probam varie instituit: si *ex recenti* 32. annos non transcendente defectu vel nota impetratio facta est, tunc probanda sunt: a) defectus vel nota, b) possessorium familiae deficientis vel notoriae: ius radicale talis familiae in regula probari non debet (d); nisi contradictor edoceat possessorium deficientis fuisse violentum vel precarium; aut si familia tempore defectus vel notae extra possessorium constituebatur; vel si donatarius familiae

(a) Math. D. 6:6. 1715:28. (b) Iuxta 1-ae: 131. (c) Plan. Tab. ad dand. vel recip. contr. rat. Dec. 1. 2. 15. 30. 49. 50. 51. etc. (d) Plan. Tab. ad rec. contr. rat. Dec. 23.

liae deficientis foemineum sexum in possessorio existentem exturbare velit; hoc enim in casu etiam fratribus proba radicalis pro solis masculis praestanda incumbit (a). Si defectus vel nota 32. annos excedens vel ius regium titulus impetrationis sit, praeter defectum aut notam, familiaeque eius possessorium legitimum, etiam ipsum ius radicale eiusdem familiae probandum venit; nam fiscum quoque in tali casu haec proba manet (b). Ius vero regium, ad suum fontem reductum exinde probandum est. In nova donatione donatarius se iam antea bonum illud diu et pacifice possedisse remonstrat. In donatione ex consensu regio producenda est donatio consensualis, cum fassione vel testamento, cui consensus superinductus est; ac possessorium familiae transferentis comprobandum; si vero haec in actuali possessorio non existit, eiusdem quoque ius radicale remonstrari debet (c).

§. 173.

B.) *Contradictor* extra possessorium constitutus, cum contra privilegium donarii ius firmitus, et antiquius privilegiale radicale se ha-

(a) 1-ae; 37. §. 12. (b) *Plan. Tab. cit. loc. Dec. 7. 14. 40. item de act. fisc. reg. Dec. 16.* (c) *Plan. Tab. ad dand. v. recip. contr. rat. Dec. 13.*

habere asserat, generatim semper iuris radicalis probam praestandam habet (a).

§. 174.

4.) *Processus ex radicalitate iuris*; quo actor se ius firmum in bono, quod alter possidet, habere asserit; est processus tabularis (b), fundandus in 1-ae: 13. 30. 34. VLAD. D. 1:54. 49. si remotio impedimentorum quoque petatur, in 1-ae: 59. 60. 61. 1723:47. si vero ex defectu documentorum originalium fundamento antiquarum sententia suscitetur, in LVD. art. 20. et 2-ae: 52, semperque strictam iuris radicalis probam requirit: productis nempe primaevae litteris acquisitionalibus, uti donationalibus, aut his aequivalentibus, harumque usuroboratione edocta, tam litteras primaevas, quam usum actor et ad se, genealogice, omni gradu comprobato, se cum eo, qui in litteris scriptus est, coniungendo, et ad fundum controversum applicare debet, imo, si litis obiectum aliquota pars corporis cuiuspiam sit, specificae etiam qualitas, quantitas et localitas edocenda est; casum in contrarium sententia lata executioni dari non poterit.

H 2

CA.

(a) *Plan. Tab. loc. cit. Dec. 13. 15. 18. 52.* (b) 1715: 28.

CAPVT VI.
DE RESTATVTIONE.

§. 175.

Restitutio est donatarii post purisatam a contradictione fatali donationem in bona impetrata iterata introductio.

COROL. Restitutio non nisi *fatali* contradictione interposita locum habet; si enim donatarius vel prorsus nulla, vel non fatali contradictione interposita possessorium ingredi nequeat; suscito ex puritate statutiois processu per modum executionis introducetur.

§. 176.

Pro diversa contradictionis interpositione, eiusque revocatione restitutio iam necessaria est, iam non; si enim fatalis contradictio interposita, ante praestitam relationem revocetur, hoc adnotasse sufficit, nulla restitutionis peragenda necessitate; perinde si contradictionis vis praescriptione evanuit; si vero post dies fatales, et peractam relationem, ante motam tamen eatenus litem contradictio per revocationem, aut mortem cesset, donatario extra possessorium existente, restitutio, impetrato mandato tutorio, ut prima peragenda, necessaria est.

Si

Si autem contradictio fatalis pendente iam lite per transactionem vel iudiciariam sententiam suffertur, restitutio medio exmissi iudicis ex I. Tabula Regia Iudiciaria, cui hac occasione testimonium Capituli adiungitur, non nisi per modum executionis peragitur; unde etiam tunc temporis interposita contradictio pro repulsionis remedio habetur, processumque repulsionalem generat (a).

CAPVT VII.

DE AEQUALITATE ET INAEQUALITATE IURIS.

§. 177.

Si honorum proprietas ad utrumque sexum pertineat, *aequalitas iuris*; sin ad masculos tantum, *inaequalitas iuris* est (b); quae aequalitas aut inaequalitas iuris ex radice, non item ex ramo acquisitionis iudicanda est (c). *Radix* vero *acquisitionis* est vel praecipuum fundamentum, ex quo acquisitio manavit, ut in donatione mixta merita sunt; vel primaevum documentum, penes quod acquisitio

(a) *Plan. Tab. ad dand. v. recip. contr. rat. Dec. 50. et aliae; item Dec. in Causa Meskoiana die 18. Sept. 1755.* (b) 1-ae: 17.
(c) 1-ae: 21. 73.

sitio facta est: ut sunt litterae donationales; radix acquisitionis alia est *proxima*, ex qua qualitas honorum immediate cognosci potest; alia *remota*, ad quam procedendum, dum fundamentum acquisitionis obscurum est. *Ramus acquisitionis* appellantur documenta *secundaria*: ut sunt litterae novae donationis.

§. 178.

Qualitas honorum generatim ex radice *proxima*, aut modo acquisitionis, aut acquirentis voluntate, vel legum dispositione determinatur.

§. 179.

I. *Radix proxima* in bonis donationalibus continetur in *clausulis*, remota in modo acquisitionis. Clausula *heredibus posteritatisque* iam inde a temporibus *Werböczii* um praecedentibus proprietatem honorum ad masculos non nisi pertinere denotat; tam mares, quam foeminae intelligendae veniunt, si additum sit *utriusque sexus* (a); clausula *primum quidem masculis, dein etiam foeminis* extincta in maribus familia proprietatem foeminis tribuit; non item
haec

(a) 1-ae: 17. 48. 102.

haec *primum masculis, dein vero foeminis ad Summam e. g. 100 millium fl.* quo in casu fiscus deficientibus maribus summam talem foeminis exsolvit; per clausulam *dono tibi, tuisque heredibus, legatariisque foeminae quoque intelliguntur* (a).

§. 180.

II. Clausulis obscuris ad *modum acquisitionis* respiciendum est: quaecunque enim bona *servitiis tantum* acquisita habentur, ea sunt *sexus masculini*, prout et illa, quae partim *servitiis*, partim *pecuniis* parta sunt (b); bona *paternis* aut *maternis* pecuniis emta, nisi clausulae aliter disponant, sunt *utriusque sexus* (c); nova donatio *priora familiae iura* non alterat (d); nec consensus *regius* cum clausula *heredibus et posteritatibus* absque *ulteriori* determinatione concessus, *fassionique* pro utroque sexu sonanti *superinductus foeminis* proprietatem adimit (e); bona per *notam amissa* et *gratia recepta* sunt eius *indolis*, ut erant ante *notam*; in *cambiis* obtinet: *cambium redolet naturam cambiati* (f); in bonis *praescriptione* acquisitis, prout unus vel *uterque sexus praescripsit*, ita *proprietatem quoque tenent*; bona *transacione* accepta

(a) *Plan. Tab. de act. fisco. Dec. 8.* (b) 1-ae: 17. 18. 21. (c) *cit. leg. et 1-ae: 50. §. 3.*
(d) 1-ae: 36. 37. (e) *Plan. Tab. de act. fisco. Dec. 17. 18.* (f) 1-ae: 70. seqq.

cepta illius boni, qui adiunguntur, naturam induunt iuxta illud: *accessorium sequitur suum principale*.

SCHOL. Etiam si clausulae exmissae essent, nec ullibi *heredibus et posteritatibus* legatur, masculis tamen, nisi expresse excludantur, successio competit; hoc tum ex combinatione legum patriarum, quae filios donatariorum heredes appellant, 1-ae: 4. tum ex eo, quod Fiscus in tali homo, cum nec defectus nec nota adsit, succedere nequeat, abunde liquet.

§. 181.

III. Quod si qualitas honorum nondum erui possit, ad *voluntatem acquiritoris* attendendum, quae, si etiam defecerit, ad *dispositionem legum* redeundum; iuxta quas sexus utriusque sunt in regula bona mobilia (a), pignora tanquam rebus mobilibus aequiparata (b), bona in sortem quartaliti perennaliter data (c); bona in homagium ob interemtum nobilem coniugi, item pro redemptione capitis alicui perennaliter tradita (d), materna bona titulo parapherni vel iuris vidualis perennaliter possessa; bona denique civica communiter, ac colonialia quoque

(a) 1-ae: 19. 99. 102. *Plan. Tab. de succ. div. Dec. 8.* (b) 1-ae: 102. 1647: 125. (c) *Sig. D. 6: 18. 1-ae: 17. §. 4. item 1-ae: 29. 30.* (d) *Citt. legg. et 1-ae: 59. 2-ae: 55. 56. 3-ae: 5.*

que avita; acquisita enim paterna, si congrua detur emaritatio, maribus cedunt (a).

§. 182.

Processus hinc enasci soliti sunt: 1.) *Ad exclusionem sexus foeminei*, quem mares, vel horum nomine frater natus maior ex 1-ae: 17. 18. 21. 48. coram Tabula Reg. contra foeminas et earum successores in possessorio existentes movent; probandum est ius radicale primitivum masculorum ex originalibus documentis (b). 2.) *Ad transumpta litterarum* per foeminas ex 1-ae: 42. et 2-ae: 15. contra mares eiusdem familiae coram Tabula Reg. suscitandus; probato nexu sanguinis conservatori litterarum iuramentum revelatorium imponitur, et ad omnia foeminae faventia documenta extradanda adstringitur. 3.) *Ad aequalitatem iuris*, quem foeminae ex 1-ae: 17. 19. 48. coram Tabula reg. contra mares movent; et probato iure radicali communi utriusque sexus, et usuroboratione, bonis et sibi applicata, divisio decernitur, executionique datur.

CA.

(a) 3-ae: 29. (b) 1-ae: 37.

CAPUT VIII.

DE QUARTALITIO, IVRE CAPILLARI ET VI-
DVALI; DOTE ITEM, COACQUISITIONE ET AL-
LATVRA VXOREA.

§. 183.

A.) *Quartalitium* est quarta pars iurium
possessionariorum paternorum ^{sexus tantum}
masculini, in signum parentalis propagatio-
nis foeminis praestanda.

SCHOL. *Quartalitium* naturam successionis imi-
tatur quidem, non est tamen vera successio; et
hinc foeminae *Quartalitium* accipientes onera pa-
rentum a proportione quartaliti non ferunt. *Plan.*
Tab. de quart. Dec. 4.

§. 184.

Modus quartalitium, contra quod prae-
scriptio non currit (a), praestandi legibus
definitus est ita, ut illud, in aestimatione
exsolvendum, omnibus mulieribus coniu-
ctim semel praestetur; innuptis vero foemi-
nis, si petant, quartalitium in bonis immobi-
libus iure temporali, usque dum nupserint,
possidendum excinditur, deinceps praestita
in

(a) 1-ae: 78. §. 5.

in parata pecunia vel equis equatilibus
aestimatione communi rehabendum (a); ni-
si foemina homini immissione ~~vel ma-~~
~~stico~~, nupserit; quo in casu, ut quodpiam
nobilis originis vestigium exstet, quartali-
tium in natura iure perennali datur (b).

§. 185.

Processus ad obtinendum quartalitium al-
ter est *ex usu*, dum non de praestando quar-
talitio, verum de modo et quantitate eiusdem
lis est; atque tum foeminis coram iudice suc-
cessionali non nisi id probandum incumbit,
quartalitium praestitum nondum esse (c); al-
ter *ex iure*, dum mares quartalitium foeminis
competere negant; atque ~~hic foeminae coram~~
Tabula Regia evincendum habent, bona dona-
tionalia esse sexus duntaxat masculini ita,
ut foeminis proprietatem obtinendi nec spes
esse possit (d).

§. 186.

B.) *Ius Capillare* est beneficium puel-
lis orphanis competens, ex iuribus posses-
siona-

(a) 1-ae: 28. 29. 88. 89. 101. §. 3. (b) Sig.
D. 6: 20. 1-ae: 29. 30. (c) 1-ae: 29. 30.
(d) *And. art. 4. Math. D. 6: 26. Vlad.*
D. 1: 63. 46. 1408: 9. 1462: 3. 1545: 36.
1647: 16.

usufructus tantum Determinatio
 sionariis paternis congruam sustentationem, habitationem et emaritationem exigendi. Atque haec beneficia, non nisi, donec nubant, competentia, praestantur ex bonis, in quibus ius divisionem et proprietatem praetendendi foeminae in praesens non habent; etiamsi cum defectu marium proprietatem sint habiturae; et in hoc inter quartalium et ius capillare discrimen positum est.

§. 187.

C.) *Ius viduale* est beneficium viduae competens ex iuribus possessionariis mariti, ipsam iure proprietatis haud concernentibus, congruam habitationem, sustentationem, ~~et, ei nubere voluerit, etiam emaritationem~~ percipiendi. Habitationem in sensu legum communiter in ea domo habet, in qua cum marito degebat; nisi castellum nobile admodum et unicum esset (a), sustentationem vero vel ex parte boni, eidem excissa, percipit; vel successor seu agnatus seu fiscus eandem parata pecunia exsolvit.

Schol. Vidua, donec haec beneficia eidem praestentur, iure bonis mariti immanet. Competentia vero vel contractu vel via iuris determinatur.

§. 188.

(a) 1-ae: 98. §. 4. 5.

§. 188.

Processus ad acquisitionem iuris capillaris vel vidualis ex 1-ae: 29. 30. 67. suscitatur; vidua, quod sit legitima relicta vidua; puella, quod sit defuncti filia probandum habet (a). *Ad restringendam viduam vel puellam ad proportionatam sustentationem* etc. ex 1-ae: 98. per Successorem coram iudice successionali movetur; et probata improporcionata fructuum perceptione, iudex Competentiam viduae vel puellae in pecunia vel bonis determinat.

§. 189.

D.) *Dos generatim* est merces legitimae uxori ob fidem conjugalem ex bonis defuncti mariti per successores eius praestanda (b). Hanc ~~legibus sibi tributam~~ dotem amittit mulier de adulterio convicta; vidua, iam alteri nupta, licet monita, ut accepta dote ex bonis exeat, excedere tamen rennens (c); litteralia documenta defuncti contumaciter detinens, aut sanguine remotioribus tradens (d); bona titulo dotis vel iuris vidualis possessa desolari permittens, aut ultra dotem alienans (e); ad mariti vel prolium corpus se-

(a) *Plan. Tab. ad acquis. mob. Dec. 18.* (b) 1-ae: 93. §. 2. et tit. 105. (c) 2-ae: 24. (d) 1618: 61. 1647: 105. 1659: 44. (e) 1622: 67. 1655: 25. *Plan. Tab. ad acquis. mobil. Dec. 12.*

pehendum nimias funebrales expensas faci-
ens; casum maioris potentiae committens
(a); sponte denique ac libere dotem marito
relaxans (b).

§. 190.

Dos alia est *legalis*, alia *contractualis*,
seu *scripta*. Est vero

a) *Dos legalis* illa merces, quae vidua-
bus nobilium possessionatorum iuxta marito-
rum dignitatem, et honorum quantitatem per
legem ipsam determinata est. Sic vidua Ba-
ronis regni habet dotem legalem 100. marc.
gr. pond. h. e. 400 fl. (c), vidua magnatis
aut nobilis 50. Sess. integras possidentis do-
tem 50. marc. gr. pond. h. e. 200 fl. in
Sclavonia 100 fl. in Transilvania 66 fl. de-
terminatam habet (d); atque, quemadmo-
dum viduae, quae ut virgo nupsit, integra
dos, a secundo marito nonnisi media compe-
tat (e); ita eadem a proportione honorum
decrescit; si enim maritus nonnisi 25. Sess.
possideat, vidua titulo dotis legalis in Hun-
garia 100 fl.; in Sclavonia, Croatia 50 fl. ac-
cipit.

§. 191.

(a) 2-ae: 43. §. 4. (b) 1-ae: 109. 2-ae: 12.
(c) 1-ae: 93. 94. 3-ae: 3. §. 3. 5. (d) *Citt.*
legg. (e) 1-ae: 96.

§. 191.

Dotis legalis pars media in parata pecu-
nia praestari debet; pars altera in rebus fa-
cile in pecuniam convertendis; unde tamen
specificè per legem (a) excipiuntur pecora
clauda, arma, vestes paratae etc. Est vero
adeo stricta obligatio hanc dotem praestandi,
ut ex bonis etiam aviticis solvenda veniat;
imo aliis bonis non existentibus, si quodpi-
am mariti bonum in pignore adsit, pignora-
tarius per viduam ad dotem eidem exsolven-
dam, bonoque superinscribendam adstringi
possit (b). Si vero familia et pecuniis et re-
bus facile in pecuniam convertibilibus desti-
tuatur, quaedam in bonis immobilibus ex-
cisa portio viduae pro pignore, donec dos
exsolvatur, assignatur (c).

§. 192.

b) *Dos scripta* est merces, quam vir
uxori in certa et determinata Summa post
mortem ex rebus suis exsolvendam, per con-
tractum obligat. De hac dote leges patriae
silent; unde, naturam contractuum imbuens,
legibus generalibus de contractibus sonanti-
bus applicanda est. Multa autem est inter hanc
et legalem differentia; legalis enim semper
in-

(a) 1-ae: 95. (b) 1-ae: 103. (c) 2-ae: 24.
vid. item 1-ae: 93. 134. §. 3. 4.

intelligitur, estque constans, tantum viduabus nobilium possessionatorum competens; scripta nonnisi obligata intelligitur, variat et omnibus stipulantibus competit; legalis nec invalidari, nec praescribi potest; potest vero scripta (a): legalis, ut privilegiata, omnibus creditoribus antepositur, et bona quoque avita afficit; scripta ad ordinariam debitorum seriem recidit, et tantum ad acquisita restringitur; legalis uxore praemortua ad eius heredes ab intestato transit; scripta, testamento uxoris non existente, ad mariti successores recidit (b).

SCHOL. *Contrados* est id, quod uxor vel eius parentes marito promittunt; habet indolem dotis scriptae, proin contractu promitti debet; de hac notandum 1.) mortua sine heredibus uxore, collaterales eius res a marito prius repetere nequeunt, quam contradotem exsolverint. *Plan. Tab. ad obt. Succ. coram Tab. Reg. Dec. 3.* — 2.) successia conjugalis in mobilibus et pignoribus contradotem non tollit; sunt enim diversa, *Plan. Tab. ad acquis. contrad. Dec. unio.* — 3.) nec fructus honorum uxoreorum contradotem etiam superantes, a marito percepti, contradotem tollunt; nam eadem hypothecae instar retinet. 1-ae: 98. *et. Plan. Tab. de divis. Dec. 14.*

§. 193.

(a) 1729: 37. *Plan. Tab. de deb. liquid. Dec. 36. ad acquis. mob. Dec. 20. 26.* (b) *Plan. Tab. ad acquis. mob. Dec. 9. 16.*

§. 193.

E.) De *coacquisitione* generatim notandum, foeminam in pignoribus et rebus mobilibus, per coniuges tempore matrimonii acquisitis, pro coacquistrice haberi, in bonis tamen immobilibus perennalibus foemina nonnisi, dum nomen eius litteris insertum est, coacquistrix esse censetur (a). Coacquisitione pro diversitate personarum vel est *nobilitaris*, vel *civilis*, vel *colonialis*.

§. 194.

Nobilitaris coacquisitione, si ulterior dispositio non fiat, in media parte maritum, in alia media uxorem concernit, quam uterque ad suos successores transmittit (b); maritus tamen, qua principalis coacquistor prerogativa de tota coacquisitionis massa disponendi gaudet (c), nisi coacquisitionem aequaliter partiendam esse contractu stipulatus esset (d); vel fundamentum coacquisitionis substantia uxorea sit (e); uxor vero vivo marito, abs-

(a) 1-ae: 48. 102. (b) 1-ae: 40. 54. 113. *Plan. Tab. de div. succ. Dec. 30.* (c) 1-ae: 18. 102. *Plan. Tab. ad inval. Test. Dec. 1. 2. ad obt. succ. cor. Tab. Reg. Dec. 4. ad acquis. mob. Dec. 5.* (d) *Plan. Tab. de div. succ. Dec. 39.* (e) *Plan. Tab. ad acquis. mob. Dec. 59.*

absque eius consensu, nihil de massa coacqui-
sita valide disponere potest (a); marito, re-
lictis liberis, ab intestato decedente, de me-
dia coacquisitionis parte disponit, alia media
prohibus cedente (b); nullis autem liberis
existentibus, fit domina totius coacquisitionis
(c).

§. 195.

In *civica et coloniali* maritus pro prin-
cipali coacquiretore non habetur; unde de di-
midia nonnisi parte, et de rata uxoris nihil
disponere potest (d).

Schol. Leges nostrae, ut sunt praeter alias
1618:61. 1647:105. dotalistam distinguunt in *sim-
plicem*, dum nihil proprietatis habet; verum non-
nisi iura temporalia, ut est ius viduale, allaturae,
dotis, eidem competunt; et in *coacquiretricem*, si
iure succedendi in bonis gaudeat, quod fit, si co-
acquisitione, de qua egimus, facta fuerit.

§. 196.

F.) *Allatura uxorea* stricto sensu sum-
ta complectitur bona mobilia, quae uxoris
nomine ad maritum perveniunt, exclusis bo-
nis immobilibus. Distinctim vero bona mo-
bilia, quae sponsae occasione desponsatio-
nis

(a) *Citt. Dec. cur.* (b) *Plan. Tab. de nov.*
Don. Dec. 20. (c) *Id. de succ. divis. Dec.*
11. (d) *Quoad cives vid. Resol. Reg. ddo.*
29. Iulii 1796. Nro. 7769. item ddo. eod.
Nro. 7774. — quoad colonos 1-ae: 29. §. 2.

nis vel tempore nuptiarum per maritum vel
cognatum, vel quemcumque alium dantur,
res paraphernales dicuntur (a); quae ve-
ro foeminā alia occasione viro adfert, stri-
ctissimo sensu allatura appellatur; usu tamen
quotidiano et in iudiciis recepto, et iam res
paraphernales allaturae nomine veniunt.

§. 197.

De allatura *generatim* notandum: rerum
allatarum proprietatem ac dominium duran-
te matrimonio penes uxorem manere; nec
eandem per delictum v. g. adulterium hoc
dominio privari posse (b); muliere ab inte-
stato decedente, allaturam non ad maritum,
sed ad legitimos uxoris descendentes, et his
non existentibus ad eius cognatos transire;
usum fructum tamen eiusdem durante matri-
monio ad virum absque omni ratiocinii one-
re ex ipso fine allaturae spectare (c).

§. 198.

Specialia allaturae iura in eo posita sunt:
quod eandem quisquis sit mariti successor,
uxori ex bonis mariti reddere, eandemque
ante omnes alios creditores exsolvere tenea-
tur

(a) 1-ae: 100. 105. (b) 1-ae: 100. 105. 106.
(c) *legg. citt.*

tur (a); et ordinarie quidem bonis avitis inhaeret, et ex his quoque depurari debet, si ad mentem legis (b) rite comprobata sit; id est: si eius realitas, quantitas, et in bona maritalia investitio edoceatur; recognitio mariti aut iuramentum uxoris ad probandam allaturae quantitatem est insufficientis.

§. 199.

Processus inter alios in hac materia sequentes originem suam sumunt: 1.) *ad acquisitionem dotis, coacquisitionis, allaturae*, per foeminas aut earum successores coram iudice successionali movendus, et quidem quoad dotem ex 1-ae: 93., quoad coacquisitionem ex 1-ae: 48. 102. 3-ae: 21. 29. quoad allaturam ex 1-ae: 100. 105. 110. — 2.) *ad invalidationem dotis scriptae* coram Tabula Regia ex 1-ae: 58. 59. heres mariti suscitatur; probat praesudicium notabile sibi illatum per id, quod dos bona avita afficiat. 3.) *ad invalidationem testamenti vel fassio- nis uxoriae de coacquisitione factae citra voluntatem mariti tanquam principalis coacquirentis inter nobiles*, per maritum vel eius heredes ex 1-ae: 18. 48. 102. coram Tabula Regia movetur: ius principalis coacquisitionis docendum est. 4.) *ad amissionem dotis* ex rationibus superius allatis.

CA-

(a) *Citt. legg. et Plan. Tab. de liq. deb. Dec. 36. ad acquis. mob. Dec. 19. de div. succ. Dec. 19.* (b) 1-ae: 110.

CAPVT IX.

DE IVRIBVS REGALIBVS MINORIBVS.

§. 200.

Iura regalia minora sunt accidentalibus quaedam iura et beneficia bonis immobilibus adnexa; fontes eadem acquirendi sunt *lex, privilegium, praescriptio*. Ad iura regalia minora referuntur: *iurisdictio sanguinis*, seu ius gladii, ius mundinarum, seu tributi fori, ius educilli, ius macelli, ius telonii et nauli, ius decimae, ius nonae, ius patronatus.

§. 201.

A) *Iurisdictio sanguinis* est potestas causas criminales cognoscendi, decidendi, ac exequendi.

Schol. Delicta multiplicia cum suis poenis specificè recensere iuris criminalis est. In determinandis vero poenis leges et consuetudines patriae observandae sunt.

§. 202.

B.) *Ius mundinarum* est facultas certis diebus et locis publicum et solemnem ementium et vendentium conventum celebrandi. Vi huius iuris potest dominus consuetum vectigal

100 Annorum praescriptio requiritur

etigal (helypénz) a vendentibus desumere; unde tamen nobiles excipiuntur (a); gaudet iure praemtionis in rebus sibi necessariis (b); a singulis pecoribus per suum territorium pellendis, dietim duos denarios exigere potest (c); exercet tempore nundinarum iurisdictionem nundinalem, praesertim, si in loco iurisdictione publica non sit.

+ Dominus
rafore
SCHOL. Intuitu pellium, extra tempus nundinarum omnes Hungari iure praemtionis praeteris gaudent. 1659: 71. §. fin.

§. 203.

C.) Ius educilli est facultas potus spirituosos iuxta minutas, iustas et legales mensuras pro constanti vendendi. Hoc iure de lege gaudet dominus terrestris in suis bonis (d), et colonus in loco domicilii (e). Lex vero circa a) tempus disponit haec: coloni in suo territorio vineas habentes a festo Michaelis usque festum Georgii educilli iure gaudent; propria promontoria non habentes, vina aliunde adferre, eaque educillare possunt a festo Michaelis usque festum nativitatis (f). Omni reliquo tempore dominus terrestris iure educilli utitur; imo, si diversorium publicum in loco habeat, in illo etiam tempore

co-

(a) 1715: 63. 1765: 20. (b) 1723: 15. §. 10. et art. 75. (c) 1723: 11. §. 6. (d) 1550: 36. 1567: 38. 1655: 31. (e) 1553: 12. 1559: 51. (f) 1550: 36.

colonis lege tributo educillare potest (a). — b) modum: dominus terrestris ius educilli vel per se vel per caupones aut arendatores exercet; vel colonis a proportionem sessionis epocillationem suorum vinorum imponit, quo tempore, praeter mercedem quatuor denariorum ab urna, a robotis immunes sunt (b). Colonis praecise vinum educillare integrum est (c).

SCHOL. 1. Hoc ius ex privilegio aut praescriptione exercentes, modum exercitii, ibidem deprehendunt. Lege vero ab exercitio huius iuris prohibentur milites in loco existentes, aut praesidarii ex 1681: 18. 22. 1715: 52. 1729: 4. officiales item Tricesimae et Salis. 1723: 13. §. 6.

SCHOL. 2. Iure educillum praecarendandi gaudent compossessores, imo et vicini praeter extraneis, adeo, ut dominus, praevie monitus, alteri tamen ius hoc in arendam locans, moto processu in cedenda arenda et poena violentiali convincatur. 1655: 31. 1659: 47.

SCHOL. 3. Mensurae sint iustae et legales, hoc est Poseniensi conformatae; secus, fraude commissa agente fisco magistratuali, si rei pretium 12. fl. non excedat, confiscatur; si excedat, poena 12. fl. infligitur toties quoties. SIG. D. 2: 1. D. 3: 6. 1659: 71. 1802: 22. Vina autem aqua, aut alia mixtura, praesertim in nobilioribus promontoriis, adulterare, sub poena confiscationis vetitum est. 1723: 108.

§. 204.

(a) Vrb. punct. 6. §. 4. (b) Legg. citt. (c) Sensus 1598: 35. et Plan. Tab. ad subl. ben. cur. Dec. 3.

§. 204.

D.) *Ius macelli* est facultas carnes iuxta minuta, iusta et legalia pondera limitato pretio pro constanti vendendi. Ius vero limitandi Comitatus in suo gremio competit (a), quam limitationem cuncta loca, et Civitates Regiae observare tenentur (b) adeo, ut latio hanc non observans, si rei pretium 12 fl. non excedat, in eiusdem confiscatione, sin excedat, in poena 12 fl. convincendus sit (c); effectuationem autem limitationis impedire praesumens nobilis aut officialis dominalis poena 100 fl. ignobilis 40 fl. actione fisci magistratualis afficitur (d).

Schol. 1. Si iusta pondera minus observentur; poena §. prior. Schol. 3. dicta confiscationis, aut 12 fl. obtinet. Sic. D. 2. 1. D. 3. 6. VLAD. D. 5. 17. 1715: 63. 1723: 14.

Schol. 2. Privatus iure macelli provisus, tempore promulgationis novi privilegii contradicens, movet processum ad dandam vel recipiendam contradictionis rationem, et iuxta 2-ae: 11. 12. edocto praeiudicio privilegium suffertur. Si non constet, quo pacto quis se ad usum iuris macelli posuit, usus tamen sit recenter inchoatus, movetur actio ad exclusionem eius et repositionem sui ex 2-ae: 9. Si vero usus macelli per annum iam duravit, privatus amplius ad sublationem talismodi recentis macelli agere nequit; nulla enim lex existit, in qua actionem

(a) VLAD. D. 5: 17. 1659: 71. 1715: 79. (b)
1715: 3. (c) 1659: 71. 1655: 51. (d)
1659: 11.

nem fundare posset; aliter quam in quaestione iuris educilli, ubi 1598. 35. privato ad sublationem educilli actionem tribuit; proin tali in casu Fisco regio, ut ille agat, insinuandum est. Plan. Tab. ad subl. ben. Cur. Dec. 4.

§. 205.

E.) *Ius telonii* consistit in facultate pro procurato in necessariis et utilibus pontibus, navibus, viis, commodo transitu a sponte peregrinantibus ratione iumentorum et curruum transeuntium certum vectigal exigendi. Telonium et *naulum* forma tantum differunt; illud dicitur, dum in viis, aggeribus, pontibus fixis; hoc, dum in traiectionibus aquarum navi vel ponte mobili transitus fit.

§. 206.

Modus telonium exigendi legibus ita determinatus habetur 1.) iure telonii gaudens ultra determinatam privilegio vel per Comitatum (a) quantitatem exigere vel aliud onus imponere non audeat; hoc enim in casu privato actio violentialis; fisco vero magistratuali triplicata actio; primum ad poenam 100 fl. secundo ad poenam 200 fl. ac demum ad amissionem loci, in quo telonium existit, competit (b). 2.) Cessante telonii fundamento,

(a) 1715: 5. §. 5. (b) 1566: 11. 12. 1635: 34.
seqq. 1655: 29. 1723: 15.

to, ut est, si siccum evadat telonium, Comitatu invigilandum est, ne exactiones perderent; secus eadem Nro. 1. dictae actiones locum habent. 3.) A longe, ut lex dicit, si nempe beneficio viae telonialis adhuc usus non est, sub dicta poena nemo compelli potest (a). 4.) Lege diserte vetitum est, ne dominus telonii iudaeum teloniatorem vel arendatorem servet (b), et hunc in casum privatus nihil solvere tenetur, imo iudaeum extorquentem verberare potest; fiscus, vero actionem ad triplicatam poenam habet. 5.) Dominus telonii obligationem habet, commodum transitum peregrinantibus praestandi, proin vias, pontesve in bono statu conservandi; alias damnum ob defectum pontis aut viae eveniens compensare tenetur; fisco vero, praevis admonenti, ut reparet, actio triplicata competit (c). 6.) In damnum privilegiati telonii occultum transitum servans, in amissione illius loci convincitur (d).

§. 207.

Personae a telonio a) pro omni casu exemptae sunt: 1.) omnes nobiles regni propriis iumentis et curru vecti (e); obscuriores

(a) 1566: 13. 1625: 34. 1647: 91. (b) 1723: 15. §. 4. et 1647: 91. (c) Legg. citt. et Sig. D. 6: 23. Vlad. D. 1: 87. (d) Vlad. D. 1: 88. (e) Vlad. D. 3: 35. 1715: 15. 1723: 15. etc.

res nobiles ad se legitimandum passuales a Vice-Comite habeant, oportet (a). 2.) Scholares (b), ad quos usus et consuetudo immemorialis studiosos quoque retulit. 3.) Cives L. R. Civitatum (c), passualibus Civitatis suae sigillo munitis instructi (d). 4.) Nobiles praediales, et subditi Archi-Episcopi Strigoniensis, qua talis (e). 5.) Super hac immunitate speciale privilegium habentes (f).

§. 208.

b) In certis casibus 1.) coloni ad molam pro molendo euntes et redeuntes (g). 2.) Coloni in negotiis domini terrestri proficiscentes (h). 3.) Homines in territorio telonii vias, aggeres gratuito reficientes (i). 4.) Sponsam per telonium ducens tam in eundo, quam redeundo; uti etiam coloni dominum suum, sponsam ducentem, comitantes (k). 5.) Victualia ad castra (l), item arma, aliaque subsidia pro regni necessitatibus vehentes (m). 6.) ab ultra non transeuntes in reditu solvere non tenentur (n), h. e. ii, qui locum telonii non

(a) Vlad. D. 4: 42. (b) Szilágy. art. 10. (c) Vlad. D. 3: 35. 1546: 50. 1741: 28. (d) Vlad. D. 4: 41. 1563: 59. (e) 1557: 16. 1563: 59. 1599: 41. (f) Ut ex 1647: 145. oppidum Pápa habet. (g) Vlad. D. 1: 86. 1723: 15. (h) Citt. legg. 1618: 59. 1625: 36. 1635: 71. (i) 1609: 47. 1723: 15. §. 15. (k) Vlad. D. 1: 85. 86. (l) 1548: 28. (m) 1522: 44. (n) Lud. art. 8. 1659: 57.

non excedunt, verum finitis ibi negotiis iterum redeunt (a).

SCHOL. 1. Non exempto a telonio, si solutionem praestare refragetur, currus, equi, caeteraque res, quas secum habet, confiscantur ex VLAD. D. 3: 35. 1723: 15. §. 13. proprietatem quidem rerum confiscatarum ipso facto non amittit; verum coram Sede dominali domini telonii agendo, si docuerit se a defraudandi voluntate alienum fuisse, res recipiet, secus in amissione illarum convincetur; teloniator vero, lite pendente, sub poena violentiae, refusione damnorum, restitutione item rerum ac sumtuum, res tales vendere prohibetur.

SCHOL. 2. Processus varii ex materia telonii enasci queunt, in ipsa materiae pertractatione relati sunt. Notandum tamen venit, Vice-Comiti per leges sub amissione officii imponi, ut, excessu relato, illico inquirat, et processum movendum fisco deferat; in quo, si tertia vice excedens in amissione loci convincatur, bonum tale praestita aestimatione communi rursus redimi potest.

§. 209.

Tricesima, cuius similitudo cum telonio occasionem hoc loco exponendi praebet, est ius coronale in certo vectigali ratione mercium in, ex, vel trans regnum vectarum, iuxta earum quantitatem et qualitatem semel, determinatis locis, exigendo consistens. Vectigal hoc exigendi modus hodie sequens est: Tricesimator iuxta specificationem vasa sigillo

(a) Ita explicat Mand. interpret. ad dominium Vngvár.

lo munita aperit, et inspicit, et iuxta tariffam anno 1788. die 2. Ianuarii altiori loco datam, a qua tamen in hanc usque diem plures exceptiones factae sunt, solutionem desumit; si vero aliae, in specificatione non expressae merces inveniuntur, eae confiscantur; quemadmodum etiam illius, qui tricesimam defraudare intendit, praeter alias accessorias, in ipsa tariffa expressas poenas (a). At vice versa, si ultra tariffam quidpiam exigatur, excessus talis processu violentiali vindicatur. Circa officiales tricesimales leges patriae praecipunt, ut Tricesimatores sint Hungari, et quantum fieri potest, possessionati (b), minime iudaeus adplicari debet (c); atque hi officiales ratione officii sui, item ratione rerum confiscatarum, uti et ii, quorum res confiscatae sunt, a iudicio Camerae R. H. A. dependent; haec enim vilegium (d) est in contrabandis; ratione tamen aliarum praetensionum coram iudicibus competentibus conveniendi sunt (e).

§. 210.

A Tricesima exemptae habentur 1.) res
a) minutae, quae collective sumtae unum flo.

(a) 1609: 17. 1715: 15. 1723: 13. Vlad. D. 3: 29.
(b) Vlad. D. 3: 30. 1681: 44. 1625: 30.
(c) 1630: 15. 1715: 15. (d) 1715: 15.
1723: 13. 51. (e) 1618: 18. 1723: 13.
1741: 23.

florenum in valore non excedunt (a); b) res victuales in castra insurgentium vectae (b); c) item pannus pro confiniis militaribus Croatiae et Slavoniae inductus (c). 2) *Personae* a) nobiles regni de rebus pro suo, aut familiae usu illatis; item de rebus suae productionis elatis (d). b) L. R. Civitates, et aliae communitates privilegium immunitatis habentes (e), c) nobiles praediales, et coloni Archi-Episcopi Strigoniensis (f), coloni item res domini sui terrestres ferentes (g). Atque ab his exemptis personis quidpiam exigere sub poena violentiae vetitum est (h).

§. 211.

Processus ex negotio Tricesimae varii enasci possunt: ut est *ad revindicationem rerum sub praetextu defraudationis confiscatarum* coram Camera R. contra Tricesimatum; *ad poenam violentialem*, si Tricesimatus ante convictionem res confiscatas vendat; *ad amissionem rerum, de quibus solvere debisset*, si tricesimam clancularie effugit, coram defraudatoris iudice competente ex VLAD. D. 3: 29. Et alii.

§. 212.

(a) Vlad. D. 1: 27. D. 3: 29. 1553: 18. 1559: 44. (b) 1741: 28. (c) 1741: 63. §. 28. (d) Vlad. D. 3: 35. Lud. II. D. 5: 46. 1559: 44. 1574: 25. 1596: 56. 1622: 48. 1715: 15. 1723: 14. 1807: 19. (e) Citt. legg. (f) 1557: 16. (g) 1553: 18. et citt. (h) 1681: 44. 1723: 13.

§. 212.

F.) *Ius decimae*, personis ecclesiasticis competens, est facultas decimam partem rerum lege expressarum suo modo exigendi. Desumuntur vero decimae ex frugibus, nominatim siligine, millio, hordeo, avena, spelta; triticum, licet lege expressum non sit, per eminentiam tamen intelligitur (a); ex musto (b); et ex foetibus animalium, ut pote ex agnellis, haedis, et examinibus apum (c). Atque decimae in dioecesi principaliter Episcopo competunt; nisi alter vel privilegio vel praescriptione hoc ius suum faciat (d).

§. 213.

Non infrequenter decimae in arendam locantur, quae vel perpetua est, per Praelatum auferri deinceps nescia (e), vel temporalis, intuitu cuius praearendandi iure omnis dominus terrestris in suo territorio gaudet (f); excepto casu belli, si fiscus regius in confiniis decimas arendare velit (g); quo

(a) Math. D. 5: 1. Vlad. D. 3: 51. Vrb. punct. 5. §. 3. (b) Citt. legg. et 1655: 89. (c) Vlad. D. 2: 39. D. 3: 54. Math. D. 6: 42. 1618: 45. 1647: 96. 1659: 54. 55. (d) S. Steph. L. 2. c. 52. (e) 1647: 95. 1715: 97. (f) 1547: 35. 1548: 61. 1655: 89. (g) 1574: 22. 1655: 89. 1715: 11.

quo fine Praelatus usque festum S. Georgii hominem suum ad Comitatum, ubi decimae exarendandae sunt, mittere obligatur, ut sic dominus terrestris, iure suo uti cupiens, se insinuare, arendamque in antecessum deponere valeat (a); si vero Praelatus et dominus terrestris de pretio convenire nescirent; tali per Comitatum determinato, utraque contenta esse debet (b); atque dominum terrestrum hoc in casu, Praelato minus contento, arendam ad manus Vice-Comitis deponentem, in exactione decimarum impedire aut turbare, sub poena dupli cautum est (c).

§. 214.

Modus desumendi decimas sequens est: 1.) ab usitato more, decimas vel in natura vel pecunia praestandi, pars una invita alia recedere nequit (d). 2.) in natura praestitas decimas, nisi aliter conventum sit, coloni intra territorium procreationis ad locum per decimatorem designatum convehere obligantur (e), pro quo fatigio decimam decimarum habent (f). 3.) decimator indigena, et quantum fieri potest, possessionatus (g) in loco, functionis suae moderato cum sumtu ver-

(a) *Legg. citt. et* 1715: 97. (b) 1622: 70. 1655: 89. (c) 1548: 61. (d) 1563: 72. 1647: 95. 1715: 97. (e) *Vlad. D.* 3: 51. §. 2. (f) 1613: 20. 1618: 45. 1635: 23. 1647: 95. 1659: 56. (g) 1681: 44. §. 2.

versetur (a). 4.) In bonis secularium dominorum prius nona, ne decimationi subiiciatur, in ecclesiasticorum vero prius decima, dein nona desumitur (b). 5.) Decimas, sub censuris ecclesiasticis extorquere leges interdiciunt (c), verum decimas denegans, poena dupli puniendus venit (d); 6.) praeter iustas decimas sub quocunque praetextu quidpiam exigere, aut onus imponere interdictum est, processuque violentiali vindicandum (e). 7.) Tempus denique in desumendis decimis lege determinatum, observandum est; quod recentius (f) ita regulatum est: *circa fruges*, finita et insinuata messe decimator intra octo dies comparere debet, secus relicta in agro pro Praelato decima parte, agricolae suum componere, et inferre possunt; *circa vinum*, si tempore vindemiarum per Comitatum defugendo, decimator venire negligat, decimae vini amittuntur (g); *circa decimationem agnellorum et haedorum* constituitur (h), ut decimator usque festum S. Joannis Bapt. decimas, vel auferat, vel signet; *apum* vero decimatio usque festum S. Michaelis peragenda est (i).

§. 215.

(a) 1609: 18. (b) 1647: 95. §. 7. 8. *Vlad. D.* 2: 44. D. 4: 29. (c) *Sig. D.* 4: 6. *Math. D.* 5: 2. 39. (d) 1548: 61. (e) 1563: 68. 1655: 89. 1647: 95. 1715: 97. 1659: 21. (f) *Per* 1802: 7. (g) 1647: 95. (h) *Per* 1647: 95. (i) *Vlad. D.* 2: 39.

§. 215.

Personae a dandis decimis exemptae sunt: 1.) omnes nobiles regni a fundis allodialibus vi praerogativae cardinalis, et multarum legum; unde tamen nobiles Comitatus Simegh excipiuntur, qui pro decimis A. Abbati montis Pannoniae praestandis, 6500 fl. vi conventionis coram PALATINO initae dependunt (a). 2.) Scholares a fundis fundationibus. 3.) Nobiles praediales a fundis praedialeibus. 4.) Messores a quotta messoriali, si ea veniat ex agro non decimali, vel tali quidem, si tamen iam domi decimas dederunt (b).

§. 216.

Processus decimales lege (c) ad fora secularia translati, sunt vel ex usu vel ex iure. Illuc referuntur: *processus ad poenam dupli propter denegationem decimae, vel in eius desumptione turbationem coram Vice-Comite ex 1609: 17. 1548: 61. ad eandem poenam contra extraneos movetur per iure praerendandi gaudentem coram Vice-Comite ex 1547: 35. 1655: 89. 1574: 20. 1715: 11.; processus violentialis ob quemcunque decimatoris excessum. Processus ex iure move-*
tur

(a) 1729: 45. (b) Vlad. D. 3: 5a. (c)
1647: 16.

tur coram Tabula Regia (a), in quo proba radicalis iuris decimarum vel ex lege vel privilegio praestanda est.

SCHOL. Saepe disceptatur de eo: an decimae in natura aut pecunia praestandae veniant? et talis processus, in quo incatto probandum incumbit, a primaevo decimas praestandi modo recessum esse, coram Tabula Reg. decurrit. *Plan. Tab. de decim. Dec. 2.*

§. 217.

G.) *Ius nonae domino terrestri competens consistit in facultate nonam fructuum universorum, et foenum, ex animalibus quibusdam partem pro usu fundorum cuicunque alteri concessorum exigendi. Cuncta praestationi nonae obnoxia ad tria capita revocantur:* 1.) *ad fruges, quarum quidquid specierum est, nona datur; ex fructibus tamen arborum, ac ex agris in sortem prati datis, nec non ex frugibus agri secundario inseminati, nona non datur.* 2.) *ad vinum, ex quo accurate nona praestanda, nisi ius montanum inductum habeatur, in eo a nona discrepans, quod nec crescat, nec decrescat, item nonnulla accessoria danda v. g. quadrantem avenae, libonem panis etc. adnexa habeat (b), nec potest dominus terrestris contractum iuris montani invitis*

K 2

eo

(a) *Ad mentem 1715: 28. (b) Vlad. D. 1: 49.*

colonis in nonam convertere (a). 3.) ad *foetus animalium*, ut sunt agnelli, haedi, atque apes.

Schol. Modus, tempusque nonam desumendi idem, quod decimarum est. 1647:95. 1802:7. Nonam perfractarie denegantem dominus terrestris, si vim adhibere nolit, admoneri, dein ad sedem dominalem citari, ac in amissione illius agri, vel vineae, unde nonam denegat, convinci curat. VLAD. D. 1. 49. 1655: 48. 1625: 58.

§. 218.

Processus hinc enascentes vel sunt *ex usu*, vel *ex iure*. Ex usu sunt: *ad amissionem fundi nonam denegantis*; *ad poenas violentiales et desumendam nonam contra violentos detentores aut ablatores nonae*; *ad repetitionem rerum exactarum*, et *ad ius montanum deinceps non augendum contra eum*, qui ius montanum auget, et exactiones eidem contrarias facit; coram Comitatu ex 1615: 31. 1715: 97. — *Processus ex iure enascitur*, si domino nonam in natura exigente, praestantes eandem in pecunia teneri asserant; atque hoc assertum, qua exceptio, probandum venit.

§. 219.

(a) 1655: 31. 1715: 97.

§. 219.

H.) *Ius patronatus* est facultas Clericorum idoneum ad beneficium vacans debito tempore praesentandi cum certis praerogativis et emolumentis. *Praesentari* autem, id est proponi ei, qui ius instituendi, inque beneficium inducendi habet, debent viri adulti, docti, probi, patriae filii (a), atque talem sibi propositum, nisi canonicam exceptionem habeat, Episcopus instituere tenetur; secus collatio alteri facta est ipso iure nulla, amittitque decimas illius loci, deinceps praesidiis confinariis adplicandas (b). *Praesentatio* vero in patronatu seculari intra quatuor, in ecclesiastico intra sex menses ab adeptae notitia, quod Ecclesia vacet, fieri debet; casum in contrarium iuxta placita iuris ecclesiastici (c) ius patronatus ad ordinarium patronum devolvitur.

Schol. 1. Fontes hoc ius obtinendi sunt fundatio aut dotatio Ecclesiae, privilegium, praescriptio. *Praerogativa* ex hoc iure resultans consistit in primo loco, quem semper et in ipsa Ecclesia patronata, et in processibus patronus obtinet; *emolumentum* vero iuri patronatus adnexum in eo positum est, quod Ecclesia patronata patrono in egestatem delapso convenientem sustentationem suppeditare debeat.

SCHOL.

(a) Vlad. D. 3. 67. 1553: 9. 1723: 57. (b) Vlad. D. 5: 26. (c) Cap. 12. 22. 27. de iur. patr.

SCHOL. 2. Quaestio: cuinam patronatus in quam Ecclesia competat, inter fiscum et privatum dominum terrestrem, vel inter duos privatos, vel inter privatum demum et ipsam Ecclesiam, eiusque pastorem oriri potest; totidemque processibus ansam suppeditat. — Plura de iure patronatus in iuris prudentia ecclesiastica.

C A P V T X.

DE TESTAMENTIS.

§. 220.

Testamentum est dispositio legitima de eo, quod quis de patrimonio suo post mortem fieri cupit. Varias sunt testamentorum species: ut *nobilitare*, *civicum*, *colonicale*, *ecclesiasticum*, *scriptum*, vel *nuncupativum*, *publicum*, vel *privatum* in vel *extra* regnum factum, *solemne* vel *privilegiatum*.

COROLL. Omni testamento conditiones *mortis* et *non revocatae voluntatis* insunt.

SCHOL. Ante 1715: art. 27. velut legem testamenta hungarica regulantem, testamenta iuxta civiles et canonicas leges condebantur.

§. 221.

Solemnitates testamentorum, seu *doctes* ac *requisita*, sine quibus testamenta non valent, aliae *internae*, aliae *externae* sunt: *internae* in *activitate testandi* positae sunt; quae

quae *activitas alia personalis* est, vel testantem respiciens, ut nec natura, nec lege (a) testari prohibeatur, vel haeredem, ut capax sit rem recipiendi, uti non sunt, contra quos lex amortisationis lata est; alia *realis* in libera disponendi facultate consistens, consideratur vel respectu fisci, qua praesertim ultimus deficiens in bonis donationalibus destituitur, vel respectu familiae, qua quilibet in acquisitis tantum, non item avitis et fideicommissis gaudet (b). *Externae* pro diversitate testamentorum variant, ut sequitur.

§. 222.

Testamenta extra regnum confecta, ut valeant, duplicem praescribit lex (c) modum: si persona publica regni nostri in illo loco extero deprehendatur, cum iurisdictio fassiones, testamenta excipiendi voluntaria, non contentiosa sit, coram ea quilibet valide testari potest; persona tamen tali ibidem non existente, testamentum iuxta solemnitates in tali loco extero observandas conditae, et legalisatio, id est: attestatum magistratus loci, testamentum cum omnibus ibi necessariis solemnitatibus factum esse, adnecti debet.

§. 223.

(a) Velut per 1-ae: 111. 3-ae: 30. *illegitimae aetatis*; per 1715: 7. 9. 1723: 9. *laesae Maestatis* vel *notae infidelitatis rei*. (b) 1723: 49. (c) 1729: 24.

§. 223.

Nobilitaria testamenta a) *publica* coram persona, vel loco authentico fieri debent, ubi per testari volentem scripto, vel viva voce ultima sua voluntas enunciata protocollo infertur, et ad archivum reponitur. Atque tale testamentum etiam coram congregatione Comitatus, vel eius exmissis condi potest (a). b) *privata scripta* coram quinque testibus idoneis, requisitis, simultaneis, nobilitari, aut aequipollenti praerogativa gaudentibus (b), semet post testatorem subscribentibus, sigillaque sua adprimentibus fieri debent; omnis vero fraus, dolus, maleversatio absit oportet; secus vel ex hoc capite testamentum evertitur (c); *privata nuncupativa* omnes dictas solemnitates scriptorum habere debent, iis exceptis, quas rei natura non patitur, uti sunt: quae scripturam et subsignationem attinent (d).

SCHOL. Atque haec requisita adeo necessaria sunt, ut vel uno deficiente totum testamentum evertatur; hoc tum usus et consuetudo docent, tum ipsa ratio svadet, cum cunctae hae solemnitates ad avertendas fraudes, certitudinemque conciliandam lege tam sollicitae expressae habeantur.

§. 224.

(a) 1715: 27. §. 9. (b) 2-ae: 22. §. 6. (c)
1715: 27. §. 8. (d) *Citt. lex.*

§. 224.

Civica testamenta duplici communiter modo condi consueverunt; vel fiunt testamenta publica coram magistratu, aut eius exmissis; vel privata seu scripta, seu nuncupativa, ad quae condenda iuxta usum, sicut in nobilitaribus, quinque testes simultanei, civili praerogativa gaudentes requiruntur. Peculiare in civicis testamentis est, quod lex expresse requirat, ut testamentum scriptum testatori praelegatur, nuncupativum vero repetatur, recapituleturque, quo testator illud confirmare possit (a).

§. 225.

Colonialia testamenta, lege recentiori non regulata, iuxta priscam (b) exigenda sunt; in qua de activitate testandi haec habentur: 1.) *Colonus* de mobilibus relate ad dominum terrestrem semper libere disponit, 2.) non item de immobilibus avitis; successoribus enim deficientibus dominus terrestris succedit (c). 3.) de immobilibus acquisitis quoad mediam partem liberrime disponit; alia vero media pars haeredibus, aut his non existentibus domino terrestri cedit. 4.) In cunctis reliquis rebus suis liberrima disponendi facultate gaudet, substitutione quoque hae-

(a) 1715: 27. §. 7. (b) 3-ae: 30. (c) *Citt. legg.* §. 7. 8.

haeredis eidem indulta (a). Solemnitates vero externae quoad testamenta colonialia pro diversitate locorum variae sunt (b); eaque, prout usus et consuetudo est, vel coram iudice cum nonnullis loci iuratis, vel coram quinque testibus confiunt.

§. 226.

Ecclesiastica testamenta solemnitates externas prorsus easdem cum nobilitaribus exigunt; quoad activitatem vero testandi Ecclesiastici retroactis temporibus vi legis (c) sibi plenam de acquisitis testandi libertatem competere adserentes, diu cum fisco litigabant. Anno 1715 res ad regnicolarem Deputationem ecclesiasticam relegata est; atque, donec haec obtinuerit, Praelati, si de tota substantia disponere velint, consensum regium expetere, secus conventioni Kollonicsianae se accommodare tenentur (d); haec anno 1703. ita coaluit, ut tertia pars honorum Praelati maneat Ecclesiae, ex cuius beneficio vixit, una tertia cedat pro conservandis praesidiis confiniariis, et una tertia liberae Praelati dispositioni subiaceat.

SCHOL. 1. Per Praelatos, Conventioni Kollonicsianae semet accommodare obstrictos, iuxta §. 29. intelliguntur Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, et Praepositi beneficia habentes; minores etenim clerici,

(a) *Citt. legg.* §. 4. (b) 2-ae: 25. (c) 1-ae: 2.
(d) 1715: 16.

rici, ut sunt Canonici, Parochi etc. iuxta ordinationes regias, prout quisque nobilis, testari possunt.

SCHOL. 2. Circa testamenta clericorum G. R. non unitorum Illyricum Declaratorium anno 1779. per Mariam Theresiam editum haec disponit: 1.) Metropolita Carloviczensis de media acquisitionis parte in favorem subditorum Suae Maiestatis libere disponit; alia media parte Cassae nationali inalienabili cedente. 2.) Episcopi de media parte testari queunt, alia cedit Archi-Episcopo pro piis usibus. 3.) Archi-Episcopi aut Episcopi aliter, vel prorsus non testantis substantia bifariam dividitur; atque pars una ad cassam nationalem inalienabilem, pars altera ad fundationem scholarum Carloviczensium eiusdem ritus refertur. 4.) Inferiores clerici substantiam aut descendantibus suis relinquunt, aut hac ratione testantur: de fundis immobilibus dominialibus ante susceptum sacerdotium iam habitis, ea, quae de colonialibus vi 3-ae: 30. dicta sunt, observare debent; si vero fundi post susceptum sacerdotium acquisiti sint, media pars domino fundi cedit, alia pars media per dominum redempta, proinde in pecunia successoribus clerici obtingit. 5.) Sacerdos prolibus destitutus nonnisi de una tertia parte substantiae suae disponere potest, duae tertiae Episcopo Dioecesano, cui obligatio defunctum sepeliendi et exequias celebrandi incumbit, manent. — Externae solemnitates, quae apud seculares alios, obtinent.

§. 227.

Testamenta Iazygum et Cumanorum regulata sunt per statuta illorum propria, auctoritate PALATINI anno 1799. die 8. Ianuarii confirmata; virtute quorum relate ad activitatem testandi, cum se redemerint, ultimus quoque deficiens libere disponit; et nec ab intestato sine haerede decedenti fiscus,

verum communitas succedit; cum tamen fundis certa onera inhaereant, iidem in quamquam ibi non habitantem transferri non permittuntur, verum si alter non, communitas tales fundos redimit; quod tunc quoque obtinet, si filiae aliorum nubant; *quoad solemnitates externas* vel condunt testamenta publica coram Senatu locali vel magistratu districtuali, aut eorum exmissis; vel privata, ad quae tres testes probae vitae et integrae fidei ex incolis illorum districtuum, quorum unus scripturae gnarus sit, requiruntur; qui scriptum testamentum intra 15. dies Senatus referre tenentur; in nuncupativo vero relatio talis intra quindenam, et quidem testatore adhuc in vivis agente, absque iuramento, secus sub iuramento praestanda, in protocollum refertur.

§. 228.

Testamenta privilegiata, cum paucioribus solemnitatibus etiam valida, sunt quatuor (a); *pium*, quod pro nosocomiis, egenis etc. fit; *militare* per personas militares in castris, vel castra sequentes conditur; *inter liberos*, successionem liberorum per parentes regulans; *tempore pestis*, quod tantum de illo loco, in quo pestis grassatur, intelligendum. Horum solemnitates externae,

si

(a) 1715: 27. §. 5.

si testator testamentum ipse scripsit, in subscriptione eiusdem absque ullo teste positae sunt; sin tantum subscribat, duo testes in super necessarii sunt; totidem in nuncupativo quoque requiruntur.

§. 229.

Codicillus est minus solennis voluntatis declaratio de eo, quod quis de minori aliqua patrimonii sui parte post mortem fieri vult. Ad codicillum tres testes adhibendi sunt (a).

§. 230.

Testamentum vim suam amittit, si sit
1.) *nullum* ipso facto, dum testator vel personali vel reali activitate penitus destituebatur; 2.) *defectuosum ratione solemnitatum externarum*, quale per S. Sedem declarari debet (b); 3.) *ruptum*, si voluntatem testatoris mutatam fuisse, certis indiciis probari possit. 4.) *destitutum*, si haeres substantiam acceptare nolit. 5.) *rescissum*, seu *invalidatum*, dum, praeiudicio per testamentum sibi illato, coram indice competenti comprobato, testamentum medio sententiae iudiciariae pro invalido declaratur.

§. 231.

(a) *Citt. legg.* (b) 1647: 15. 1715: 27. §. 3.

§. 231.

*si conditio
de rebus
suis sit
non liber
2ae Dispo*

Processus 1.) *ad implementum testa-*
menti suscitatur per haerem aut legatarium
pro ratione quantitatis vel coram Comitatu,
vel Tabula Districtuali ex 1647: 126. 1662:
32. 1715: 28. — 2.) *Ad invalidationem te-*
stamenti ex defectu solennitatis internae
movetur pro diversitate adiunctorum vel co-
ram Tabula Regia, vel Magistratu Civico,
vel Sede dominali per praeiudicium sentien-
tem contra eum, cui res testamento data est,
ex 1-ae: 59. 60. 2-ae: 52. 3.) *ad invalidatio-*
nem ex defectu solennitatis externae, agi-
tur coram Sede dioecesana, in cuius gremio
haereditas existit ex 1715: 27. §. 3. item
1647: 15. — 4.) *Ad sepositionem testamen-*
ti accessorie in alio processu v. g. succes-
sionali agitur, dum testamentum ipso iure
nullum est.

SCHOL. Legibus patriis, 1-ae: 5. 57. 1723: 49.
50. patri acquiritori absolutam de acquisitis disponen-
di, Maioratum item, aut Senioratum instituendi fa-
cultatem tribuentibus; filios ex acquisitis simpliciter
exclusos, ad invalidationem testamenti parentum
agere nequire, patulum est.

CAPUT XI.

DE SVCCESIONE AB INTESTATO.

§. 232.

Successio ab intestato est ius ordinata se-
rie haereditatem sine testamento relictam ap-
prehendendi. Talis successio alia est descen-
dentium, alia ascendentium, alia collatera-
lium, alia coniugum, alia viduarum, alia
fisci.

§. 233.

A.) *Successio descendentium* a) *legiti-*
morum et naturalium sequentes habet regu-
las: 1.) in bonis maternis tam avitis, quam
acquisitis, excepto casu praefectionis (a),
uterque sexus aequaliter succedit (b). 2.) in
bonis paternis filii in regula aequaliter, filiae
nonnisi, aequalitate iuris praeeistente, suc-
cedunt (c). 3.) immediati gradus descenden-
tes per capita, ulteriorum graduum, cum ti-
tulo repraesentationis veniant, per stirpes
substantiam parentis apprehendunt (d). 4.)
Eiusdem matrimonii proles utrique parentum
aequa-

(a) 1-ae: 17. §. 7. (b) 1-ae: 54. (c) 1-ae:
17. 40. 41. 42. 48. 2-ae: 62. (d) 1659: 117.

aequaliter, diversi matrimonii separatim tantum in sui parentis bonis, iuxta illud: *pater-na paternis, materna maternis* cedunt, succedunt, nisi aliter coniuges convenissent. 5.) primo et ultimo genitus peculiaribus iuribus gaudent: *primogenitus* ex lege est conservator litterarum suae familiae, et eo ipso omnes activas causas communes, qua *frater natu maior, et reliquorum suorum congenerationalium iura sustentans*, tractare potest (a); litteras tamen familiae suo modo petentibus, et quidem maribus in originali, foeminis in copia, sub poena extradare tenetur (b); *ultima genitus* domum paternam, in ratam tamen suam imputandam, sibi retinendi ius habet (c). 6.) Ecclesiastici seculares integram ratam suam; religiosi vero, ordinem bonorum possidentorum capacem ingressi, decimilitatem tantum ratae sibi, si in seculo mansissent, obventurae accipiunt; quae tamen, ut alibi iam dictum est, 5000 fl. excedere nequit (d); atque talis summa decedente religioso, monasterio cedit.

§. 234.

b) *Legitimatorum*: 1.) per subsequens matrimonium legitimati, prout legitimi et natu-

(a) 1-ae: 42. (b) *Citt.* 1-ae: 42. §. 1. 2. 3.
(c) 1-ae: 40. 41. (d) 1715: 71.

turales; 2.) per Principem legitimati in avitis cum legitimis et naturalibus, nonnisi his consentientibus, succedunt; fiscum tamen in horum defectu praecedunt; in acquisitis, legitimatione per patrem procurata, aequaliter succedunt (a). 3.) Legitimati per Pontificem nullam successionem consequuntur (b).

§. 235.

e) *Legitimorum tantum*, seu *adoptivorum*. 1.) Adoptatus in aviticis, si legitimi et naturales adsint, non (c), in acquisitis vero succedit. 2.) Adoptatus in bonis donationalibus fiscum non secus excludit, quam si adoptio consensu regio firmata sit. 3.) Adoptatus propriis parentibus iuxta normam supradictam succedit.

§. 236.

d) *Illegitimorum* nulla est ab intestato successio; leges enim patriae (d) successionem tantum legitime generatis tribuunt, et illegitimos simpliciter a successione excludunt (e).

§. 237.

(a) 1-ae: 106. 108. (b) *Citt. legg.* (c) 1-ae: 63. 66. 130. (d) 2-ae: 62. (e) 1-ae: 106. §. 2. et tit. 108.

§. 237.

B.) *Successio ascendentium*, lege (a) parentibus tributa, in regula est reciproca successioni descendentium; unde in avitis defuncti semper illa linea, per quam bona ad defunctum devoluta sunt, succedit; gradu propingvior ascendens remotiorem excludit, in acquisitis generatim, in aviticis quoad suam lineam, in acquisitis donationalibus ascendentes solum, si nomina eorum litteris donationalibus inserta sint (b); legitimatis vero parentes ab intestato eadem ratione, qua hi parentibus, succedunt, adoptivis nihilominus, lege nonnisi naturales ascendentes considerante, prout et illegitimis parentes ab intestato haud succedunt.

§. 238.

C.) *Successionis collateralis* proprium est principium: *communio sanguinis et mutua fraternalis divisio* (c). Vnde habita reflexione ad qualitatem personae et honorum a) *relate ad bona avita* collaterales citra discrimen graduum sibi succedunt (d), praescriptione hac in successione locum non habente (e); propiorem sanguinis nexum, et

(a) 1-ab: 53. §. fin. (b) 1-ae: 50. (c) 1-ae: 47. §. ult. et tit. 67. (d) 1-ae: 47. 67. 1715: 25. (e) 1-ae: 46. 78.

condivisionem fraternalem habens remotiorem excludit (a); immediati consanguinei et condivisionales in capita, posteriores in stirpes, carnales et uterini in paternis aeque ac maternis, carnales in paternis solum, prout uterini in maternis, succedunt; atque haec successio, si defectus et nexus recens sit, via facti, secus processu mediante obtinetur (b), qui inter familiae homines coram iudice successionali; cum extraneo vero, e. g. fisco, coram Tabula Regia, tanquam processus iuris, decurrit (c).

§. 239.

b) *Relate ad bona acquisita* collaterales in donationalibus nonnisi tunc, si eorum nomina litteris inserta sint, (d); in extradonationalibus ante fraternalem divisionem initam acquisitis, licet alterum huius successio- nis fundamentum *divisio* desideretur, ex legis (e) dispositione succedunt; in iis attamen, quae post divisionem acquisita sunt, ex defectu principii: nulla successio ab intestato fratres respicit: unde ecclesiastici ~~non~~ ~~relati~~ excipiuntur, quorum ab intestato ~~de-~~ ~~scendentium~~ acquisita, ex ordinatione MARIAE THERESIAE Imp. et Reg. trifariam divisa, Eccle-

L 2

siae,

(a) 1659: 117. (b) 1-ae: 67. (c) *Plan. Tab. ad obt. succ. coram Tab. Reg. Dec. 2.* (d) 1-ae: 50. (e) 1723: 47. §. 3.

siae, pauperibus et consanguineis ad 10-um usque gradum cedunt.

SCHOL. *Legitimi* per subsequens matrimonium vi dati principii, quemadmodum naturales et legitimi succedunt; legitimi per Principem in avitis non nisi tunc, si fratres legitimi eosdem ad divisionem fraternalem avitorum admiserunt; in acquisitis vero, si pater ita disposuit, collateralem successionem adipiscuntur. *Adoptivi* ob defectum communionis sanguinis nec fratribus adoptivis, nec filiis adoptantis ab intestato succedunt.

§. 240.

D.) *Successio coniugalis*, per legem (a) mutua effecta, coniuges in omnibus mobilibus acquisitis, proin et pignoribus, sibi invicem succedere facit (b); in avitis collaterales uxorem (c), his tamen deficientibus uxor in avitis mobilibus Fiscum praecedit (d); in immobilibus perennali titulo acquisitis, nisi nomen litteris insertum habeatur, sibi coniuges minus succedunt (e); in investitionibus tamen honorum perennali titulo per donationem mixtam acquisite in defectu descendantium, coniuges successionem reciprocam capiunt.

SCHOL. Si nomen coniugis litteris insertum sit, coniux vi successionis coniugalis et ascendentes et collaterales defuncti vel defunctae coniugis praecedit.

§. 241.

(a) 1687: 11. (b) *Citt. legg. et* 1715: 26. (c) 1-ae: 47. 67. et *Dec. Cur.* (d) 1-ae: 99. §. 5. 1715: 26. (e) 1-ae: 48. 102.

§. 241.

E.) *Successio vidualis* a successione coniugali per id differt, quod antiquarum legum in nonnullis vigor, atque dispositio permaneat, vi cuius uxor marito, non item reciproce maritus uxori succedit; vi huius successionis vidua in potiori parte vestium mariti, ~~etiam proles remanent~~, succedit (a); equi curiferi ac currus, quo cum marito vehebatur, peculiariter viduae cedunt (b); suam quoque vidua ratam cum descendantibus mariti in pignoribus et mobilibus (c), prout et ex equis equatilibus, si equatum 50. capita non aequet, habet.

SCHOL. Successio vidualis a iure viduali differt; hoc enim usum fructum, illa proprietatem tribuit.

§. 242.

Processum successionalem descendens ex 1-ae: 40. 41. 42. 53. et 2-ae: 62.; ascendens ex 1-ae: 53. collateralis ex 1-ae: 47. 50. 57. 1723: 47., coniux ex 1687: 11. 1715: 26. vidua ex 1-ae: 98. usque 102. coram iudice successionali suscitatur; qui, si bona in uno Comitatu sita sint, a minima summa usque 200 fl. est exclusive index nobilium; a summa 200 fl. usque 3000 fl. vel index nobi-

(a) 1-ae: 54. 99. (b) 1-ae: 99. 100. (c) *Citt. legg. et* 1-ae: 102.

bilium, vel Vice-Comes; in summa vero 3000 fl. excedente, quantacunque sit, iudicat exclusive Vice-Comes; bonis vero in diversis Comitatus existentibus, iudex est Tabula Districtualis; ex quibus, si bona pluribus Districtibus adiaceant, illa, in cuius districtu caput, aut maior pars bonorum situatur, iudicat. In hoc processu fundamentum successionis prohandum venit...

SCHOL. Ius succedendi prae aliis sibi competere sciens, intra annum via facti possessorem, aut turbatorem impune elicit; evoluta anno poena violentialis incurritur. 1.^{ae}: 65.

C A P V T XII.

DE SUCCESSIONE FIDEICOMMISSARIA.

§. 243.

Fideicommissum est norma, qua acquisitor pro splendore et conservatione suae familiae bona masculo cuiusque eiusdem familiae ita attribuit, ut illa quisque ad suum successorem sine divisione, inoneratione, alienatione, praescripto modo transmittat.

SCHOL. Fideicommissa in patria nostra pro magnatibus primum per 1687: 9. dein etiam pro nobilibus per 1723: 50. inducta sunt. *Inoneratio* tallium bonorum per successorem non nisi in casu extraordinario, si nempe inoneratio pro conservatione

tione ipsius fideicommissi, secus perituri, facta fuit, exsolvi debet; *alienatio* vero eiusmodi bonorum per cit. 1687: 9. et 1723: 48. ita vetita est, ut alienans, suscitato adversus eum processu, fideicommissum amittat, et successor bona ab emtore absque omni solutione revindictet.

§. 244.

Vt fideicommissum legitimum sit, per actum solemnem, uti est donatio regia, aut testamentum, vel fassio, consensu regio firmata, constituatur, oportet (a), et talis constitutio iuri tertii non praeiudicet; unde in Comitatus, ubi fideicommissaria bona sita sunt, publicanda est.

§. 245.

Fideicommissorum duae sunt apud nos species: *Maioratus*, seu fideicommissum, in cuius devolutione tam linearum, quam nascendi ordo; et *Senioratus*, in quo solum nascendi ordo observatur.

§. 246.

Processus successionalis, si alter, quam cui competat, fideicommissum occupet; *ad amissionem fideicommissi* propter alienationem; *ad revindicanda bona fideicommissa alienata*; hinc originem sumere queunt coram iudice successionali promoventur.

CA-

(a) 1723: 50. §. 1.

CAPVT XIII.

DE LVRO ET DAMNO FRATRVM
INDIVISORVM.

§. 247.

A.) *Luorum* est id, quod patrimoniam nostrum auget. Relate ad luorum fratrum indivisorum hodie (a) frater acquiritor, quod ex fructibus aviticorum acquisivit, cum proprie illius acquisitum non sit, divisioni substernere tenetur; acquisitionem tamen aliunde factam sibi reservare potest, in qua, ut §. 239. dictum est, si extradonationalis sit, fratres ab intestato succedunt.

SCHOL. Olim iuxta 1-ae: 43. 44. quidquid frater unus in statu indiviso, seu industria, seu fortuna acquisivit, communi divisioni substernere, vel si hoc noluit, suae portioni aviticae renunciare, eamque fratribus relinquere debuit; quae dispositio deinceps per 1655: 54. ad fratres carnales et uterinos tantum restricta fuit.

§. 248.

B.) *Damnum* est, quod patrimonium nostrum imminuit; aliud est *infectum*, quod nonnisi imminens meretur; aliud *factum*
seu

(a) Vi 1723: 47.

seu *datum*; aliud porro *dolosum*, *culposum*, *casuale*; distingvenda demum veniunt damna in administratione bonorum, vel per inonerationem, aut alienationem facta.

§. 249.

I.) In administratione bonorum damnnum infectum, quale lex (a) circa aedificia ruinam minitanti commemorat, tollitur, si frater damnnum imminere observans, alios tergiversantes iudicialiter primum admoneri, ac demum processu formali conveniri, atque ita eosdem ad proportionatum onus ferendum stringi curat; damnnum casuale iuxta illud: *casus nocet domino*, omnes condominos ferit; *dolosum* vero qualitercunque datum, prout et *culposum* auctori doli, aut culpa imputatur (b).

§. 250.

II.) Damna per inonerationem communium bonorum per fratrem plenipotentiatum data, aut etiam absque plenipotencia contracta onera in conservationem aut reparationem bonorum conversa, omnes fratres feriunt, iuxta illud: *qui vult commodum, debet velle etiam incommodum*, et mentem legis (c); debita tamen contracta, ex quibus in
alios

(a) 1715: 69. (b) Sig. D. 2: 8. 9. Matth. D. 6: 14. 1-ae: 71. 2-ae: 71. 83. §. 5. (c) 1723: 84.

alios nullum emolumentum redundat, ratam contrahentis nonnisi afficiunt.

§. 251.

III.) Aliorum quoque portionum per fratrem aut condominum, seu temporali, seu perennali titulo facta alienatio, quoad portiones reliquorum est ipso iure nulla; proin coram quovis iudice seponibilis (a); quoad propriam tamen ratam, licet bona sint in statu indiviso, valet.

§. 252.

Processus ad reparationem communium aedificiorum et beneficiorum praemissa admonitione iudiciali per eum, qui animum reparandi habet, contra reliquos ex 1715: 69. coram Vice-Comite (h) suscitatur; *successionalis vero cum sepositione fassionis* per fratrem contra detentorem portionis suae, per alium fratrem alienatae ex 1723: 47. coram iudice successionali promovetur.

CA.

(a) 1723: 47. (b) 1729: 35.

C A P V T XIV.

D E D I V I S I O N E.

§. 253.

Divisio est patrimonii inter plures haeredes pro modo successionis realis partitio. Olim praeter processum unicus erat lege (a) stabilitus modus divisionem ineundi; penes mandatum nempe praepceptorium, si bona in uno Comitatu sita erant, Vice-Comes; si in pluribus, Protonotarius divisionem peregit; hodie divisio fieri potest amice, modo litterae super facta divisione conficiantur, coram arbitris; quo in casu compromissum per omnes subscribi debet (b), iuxta patris dispositionem, modo antiquo, aut per processum (c).

§. 254.

In practice peragenda divisione principaliter rerum omnium adaequata conscriptio cum determinatione speciei, quantitatis, qualitatis, ac aestimatione virorum intelligentium adornanda est (d); dein portiones, quantum possibile, aequales tot, quot successores in capita sunt, elaborandae; in unam ratam do-

(a) 1-ae: 45. (b) 1729: 30. (c) 1655: 54.
(d) 1-ae: 41.

domo paterna cum appertinentiis, in reliquas vero tantumdem in valore, imputata; Litterae denique *Divisionales*, singillatim quid cuius obtigerit, continent, perque omnes condidentes subscriptae, in tot exemplaribus, quot condidentes sunt, confiunt; quibus interdum *vinculum*, seu multa in eum, qui divisionem turbare auderet, adiungitur.

§. 255.

Divisio legitime inita quoad ratam propriam privativum dominium, quoad reliquas mutuum et collateralem successionem (a) operatur; inducit participationem onerum massae divisionali inhaerentium (b); atque praescriptionem honorum ratione proprietatis (c), non tamen ratione usus fructus (d), inter condidentes in perpetuum impedit; demum includit naturaliter *evictionem mutuum*, vi cuius fratrem, ratione portionis suae per extraneum impugnatum, reliqui fratres iunctim defendendi obligationem habent (e).

§. 256.

Processus Successorio-divisionalis, in quo coram iudice successionali iunctim success-

(a) 1-ae: 47. 67. (b) 1-ae: 82. (c) 1-ae: 78.
(d) 1-ae: 46. §. 6. (e) 1-ae: 74. 1659: 35.

cessio et divisio ex 1-ae: 47. 67. 1715: 25. 26. petitur, tantum inter fratres locum habet; *ad desumptionem vinculi* ex MATH. D. 6: 17. et VLAD. D. 1: 38. contra turbatorem dirigitur; *index*, nisi alter in contractu denominatus sit, est Tabula Districtualis (a); *evictionalis* quoque hinc saepe exurgit, de quo inferius fusius.

CAPUT XV.

DE RECTIFICATIONE DIVISIONIS
ET NOVA DIVISIONE.

§. 257.

A.) *Rectificatio divisionis* est remedium iuris, quo errores accidentales fundamentalis divisionis corriguntur; aut alicuius condidentis sine sua culpa diminuta portio, aliter irreparabilis, semel intra legitimum tempus compensatur; divisione de caetero in suo statu relicta (b).

COROL. Hoc remedium competit, si error *accidentalis* in divisione contigit: uti si portiones in quantitate, aut qualitate discrepent; item si ratae condidentis avulsio, aut imminutio aequae accidentalis facta est.

SCHOL.

(a) 1715: 28. §. 5. et 1723: 30. (b) 1-ae: 45.
46. 1729: 36.

SCHOL. Pro rectificatione per 1729: 36. determinati 32. anni ab inita divisione currunt, respectu pupillorum a completo 16. anno numerantur; quibus evolutis rectificationi praescribitur.

§. 258.

Processus ad rectificationem divisionis, seu rectificatorius divisionis ex 1. ae: 45. 46. 1729: 36. movetur per eum, qui damnificatus est in accidentalibus, vel occasione divisionis, vel per avulsionem contra reliquos fratres condidentes, coram iudice Successionali. Expensas hoc in processu quilibet pro rata sua fert (a).

SCHOL. Ad rectificationem divisionis agens poenam vincularum, divisioni forte adiectam, non luit nam iudicem interpellare, dum quis se laesum esse existimat, cuique integrum est. *Plan. Tab. Dis. Succ. rectific. Dec. 28.*

§. 259.

B.) *Nova divisio est remedium iuris, quo propter defectus substantiales primae divisionis, aut successive emergentem portionis alicuius condidentis, sine tamen sua culpa, et aliter irreparabilem amissionem, intra tempus legitimum semel, divisio fundamentalis rescinditur, et aliter instituitur (b).*

SCHOL.

(a) *Dec. Cur.* (b) 1. ae: 46. 1729: 36.

SCHOL. 1. Censetur esse error substantialis, a) si rata unius ab alterius tota indole physica, ut mobilia ab immobilibus; b) vel indole morali, seu aestimatione civili differat: ut nobilitaria a civilibus; c) si condidentium quispiam ex integro corpore v. g. pago excludatur, quin defectus alibi sariatur.

SCHOL. 2. In nova divisione, per quod a rectificatione differt, invalidata fundamentalis divisione, commassatio instituitur, ac nova portionum elaboratio fit; unde, si ob varias a tempore primae divisionis factas involutiones commassatio impossibilis evadit, nova divisio fieri nequit. *Dec. Cur.* Ad talem commassationem fructus interim percepti non referuntur; meliorationes vero exsolvuntur, prout vice versa deteriorationes ex massa deteriorantis detrahuntur. *Plan. Tab. de div. succ. Dec. 11. 12.* — Circa tempus idem, quod in rectificatione, tenendum: lege enim haec remedia coniunguntur.

§. 260.

Processus novae divisionis, seu ad novam divisionem ex 1. ae: 46. 1729: 36. coram Tabula Regia aut Banali suscitatur; erat enim olim processus octavalis (a), qui ad Tabulam Regiam translatus (b), nec inferior iudex de litteris iudicare potest (c). Ad actoratum consequendum edocto errore substantiali aut avulsione, de commassatione agitur; ac decreta nova divisione, executio peragitur.

CA-

(a) 1. ae: 45. 1655: 54. (b) *Per 1723: 26.* (c) 1723: 31. §. 8.

CAPVT XVI.
DE PROPORTIONE.

§. 261.

Proportio est regulatio emolumentorum ex beneficiis communibus convenientium pro cuiusvis rata intravillana accuratius elaborata. **Vt** quis proportionem ingredi valeat, lege requiritur possessorium actuale, simultaneum, manifestum ac pacificum (a).

§. 262.

Ad proportionem determinandam assumuntur tres termini noti, et quartus quaeritur; pro primo termino servit totum constitutum intravillanum, pro tertio fundus intravillanus cuiusvis compossessoris; pro secundo vero assumitur totum constitutum communis beneficii, v. g. pascui; atque ita multiplicatis inter se mediis terminis, et per primum divisus, quartus eiusmodi communis beneficii pro cuiusvis rata usum ostendet.

Schol. Si in praedio proportio facienda est, iuxta Decisiones Curiae Regiae fundi intravillani imaginarie concipiendi sunt, et iuxta hos proportio instituenda. Perinde, si Curialista ex communi be-

(a) 1715: 69.

neficio participare debet, prius determinandum, quot sessionibus Curia eius aequivalet. *Plan. Tab. ad proport. usus Dec. 1.*

§. 263.

Processus proportionalis, seu ad proportionem usus, praemissa admonitione iudicialia de tollendo abusu et inducenda amice proportionem, ex 1715: 69. coram Vice-Comite (a) suscitatur per eum, qui improporcionado usu sibi praeiudicium inferri sentit, contra omnes omnino in illo bono compossessores. Probato improporcionado usu, et per hunc beneficio imminente periculo, iuxta proportio inducenda decernitur, quam executione mediante peractam violare, poena violentiali cautum est.

CAPVT XVII.

DE METIS.

§. 264.

Metae hoc loco sunt signa et ductus, per quos corpus quoddam totale bonorum immobilium ab aliis vicinis secernitur.

Schol.

(a) 1715: 69. §. 2.

SCHOL. Signa talia vel sunt *naturalia*: ut fluvius, vel *artificialia*: ut cumulus terrae congestae; porro vel *incipientia*, vel *desinentia*, vel *curvualia*, prout controversia metalis incipit, decurrit ac desinit.

§. 265.

Iuxta leges antiquiores controversias metales praevertendi aut componendi modus duplex est: *simplex reambulatio*, seu *revisio*, quae est nuda metarum inspectio, et *exstantium signorum*, si necesse sit, renovatio; vel *rectificatio metarum*, quae in signorum perlustratione, antiquorum renovatione, novorum, si necesse est, erectione, depravatorum correctione, et sic avulsarum particularum ad suum corpus reapplicatione consistit; atque talis rectificatio modo lege approbata (a) suscipi debet: ut per amicam conventionem et transactionem, quo in casu litterae metales conficiendae sunt; coram arbitris (b); olim per iudices regni ordinarios, eorumve protonotarios, aut per hominem regium (c); vel denique per processum metalem (d).

SCHOL. Occasione rectificationis metarum convocandi sunt vicini ac cometanei maiori in copia, et adolescentes praesertim, ut memoria huius actus diutius conservetur. *Legg. citt. Sig. D. 6: 9. Math. D. 6: 67. Vlad. D. 1: 43.*

§. 266.

(a) 1-ae: 86. (b) 1729: 30. (c) 1-ae: 82.
2-ae: 21. (d) 1-ae: 86. 1635: 20.

§. 266.

Legibus recentioribus metas rectificandi modus alter *interimialis*, alter *stabilis* constitutus habetur. Prior (a) per Vice-Comitem cum adiunctis indice nobilium et iurassore ad interpellationem alterutrius contendentis, vel etiam insinuationem Fiscus magistratualis peragitur, ad locum controversum exeundo, summarie contendentes audiendo, atque lite diremta, signa et ductus corrigendo; et tali decisione facta, partes a contentionibus abstinere debent, salva tamen via per modum *stabilem*, nempe processum agendi ei, qui praeiudicium sibi illatum esse autumat; quo in processu interimialis eiusmodi Vice-Comitis rectificatio in nullam reflexionem sumitur.

SCHOL. Si quis Vice-Comitem in tali functione turbet, aut metas erectas destruat; ad relationem Vice-Comitis, ordinato in Congregatione generali brachio, rectificatio in effectum deducitur; contra turbatorem vero actio fiscalis ad poenam arbitrariam suscitatur; privato laeso, processu violentiali, eundem impetente. Dominus vero occasione similis Controversiae damnum subditis causans, illud resarcire tenetur, et nolens per Comitatum adigitur 1802: 23. §. ult. et 1635: 20.

§. 267.

Si duo Comitatus, aut privati in limitibus duorum Comitatum de metis litigent, ex-
M 2 sur-

(a) 1802: 23.

surgit vel *processus ex iure*, qui generatim in 1635: 19. 20. §. 2. quoad iudicatum in 1715: 28. 1723: 26. fundatus, prout alii eiusdem generis coram Tabula Regia vel Banali, probationem iuris radicalis exposcens, decurrit; vel *processus ex usu*, qualis in 1635: 19. 1655: 86. 1659: 65. 1715: 40. fundatus, vi usus constantis coram PALATINO vel eius Deputatis promovetur; proba fit ex testimonio humano, vel litterariis documentis; a deputatis ad Sedem PALATINALEM adpellatur.

§. 268.

Privatis de limitibus territoriorum in eodem Comitatu sitorum litigantibus, perinde alter est *processus ex iure*, qui eadem ratione, ut supra descriptus decurrit; alter *processus ex usu*, qui in 1635: 19. 1-ae: 84. seqq. fundatus coram Vice-Comite promovetur, tum quod eiusmodi plaga valorem 3000 fl. superet (a), tum quod lex (b), expressè Vice-Comitis meminerit; usus pacificus, publicus et manifestus, et si tota plaga adiudicari petitur, etiam privativus edocendus est, quod vel *litterariis documentis* fit, quorum usuroboratio ostendi, et tam ad actorem, quam ad fundum quaestionatum applicatio fieri debet, quaeve, cum priscis temporibus multae reambulationes et rectificatio-

(a) 1729: 35. (b) 1635: 20.

nes unilaterales factae sint, severo examini subiiciendae sunt (a); vel *testibus*, pro quibus incolae locorum, de quorum territoriis agitur, tanquam interessati, adhiberi nequeunt (b), atque testes, quorum hoc in processu ob probam publici et manifesti usus plures, quam ordinarie in processibus fieri soleat, producuntur (c), ut maior fiat iudicii perspicuitas, in facie loci examinandi vel ad minus authenticandi sunt; proprio motu de signo ad signum procedere debent, et exorta de depravato signo quaestione, denuo solemniter, eorum nempe, depositis calceis, pedes ex parte infodiendo, adiurari possunt. Actus vero ad ius dominale probandum, uti est pascuatio, lignatio, falcatura, messis etc. eo firmiorem probam praestant, quo nexus inter usum et ius dominale arctior est. Partibus collitigantibus aequales probas praestantibus, plaga controversa ad mentem legis (d) hiffariatur, salvo processu iuris. Appellatio fit ad Tabulam Regiam (e).

Schol. Controversia metalis recens etiam processu violentiali sopiri potest, modo usus pacificus, publicus et privativus plagae controversae doceatur; in antiqua vero 30. 40. annorum disceptatione processus violentialis locum non habet, et suscitatus condescendit. 1647: 127. reflexe ad 1729: 42. §. 9. 10. *Plan. Tab. metal. ex usu Dec. 2.*

GA-

(a) 1-ae: 86. (b) 1729: 26. §. 3. (c) 1729: 42.
(d) 1635: 19. (e) 1729: 28. *Plan. Tab. metal. ex usu Dec. 1.*

CAPUT XVIII.

DE SVCCESIONE FISCO.

§. 269.

Fontes successionis fisci generatim sunt: defectus, crimen laesae Maiestatis, et notae infidelitatis.

§. 270.

A.) In successione fisci ex defectu, facta distinctione fisorum, regii, civitatensis et dominalis; habita item consideratione personarum deficientium et caducitatum, regula generalis est: *ubicunque alter legalis successor deest, fisco certa competit ex lege successio; et vicissim (a).*

§. 271.

Speciales regulae sunt: 1.) in virtualibus caducitatibus; cum non iure sanguinis, verum vi legis successionem adipiscatur, nullus fiscus succedit (b). 2.) Colonis deficientibus, sicut et in nota vel crimine convictis, fiscus dominalis (c); 3.) civibus deficientibus,

(a) 1-ae: 10. 1715: 25. 26. (b) 1-ae: 27. (c) 3-ae: 30. 1715: 62.

bus, et nobilibus in fundis civicis fiscus civitatensis (a); 4.) Iazygibus et Cumanis iuxta eorundem statuta communitas; 5.) Nobilibus praedialibus fiscus Ecclesiae; 6.) liberis hominibus, nec civicae, nec dominali iurisdictioni subiectis, item nobilibus deficientibus, tam in mobilibus, quam immobilibus, vel in toto, vel in parte, prout defectus est, Fiscus regius succedit (b).

§. 272.

Processum ex usu, seu sequestri movet extra possessorium constitutus, successionem ad se pertinere ratus, coram iudice successionali, probatque fundamentum successionis; onere probandi communiter privatum manente (c); quo in processu succumbens suscitatur processum ex iure coram Tabula Regia ex legg. succ. praepriis 1715: 25. Privatus probam iuris radicalis praestat; Fiscus quoque in defectu antiquo familiae deficientis ius, eiusque defectum probare debet.

SCHOL. 1. Defectu enato, pars extra possessorium constituta, seu consanguinei, seu Fiscus, alteram intra annum via facti elicere potest vi 1-ae: 68. 1729: 41.; quod evoluto anno sub poena violentiali facere vetitum est.

SCHOL. 2. Decurrente processu, seu sequestri, seu iuris quidpiam ex bonis controversis alienare sub

(a) 1542: 33. 1638: 35. 1647: 87. 1649: 16. (b) 1-ae: 10. 1715: 26. (c) 1715: 25.

sub poena nullitatis cautum est; fructus vero inter-
medio tempore percepti triumphanti cedunt. 1715: 25.
§. 4.

§. 273.

B.) *Crimen laesae Maiestatis* est deli-
ctum publicum, quo quis laesionem perso-
nalem Principis, aut regni perniciem, eius-
que perturbationem positive intendit, aut
conniventia sua fovet (a).

§. 274.

Poena olim (b) erat amissio vitae et
honorum quoad ratam delinquentis; quae
deinceps (c), ut ratae quoque innocentium
prolium, nondum divisarum amittantur, ex-
asperata fuit; hodie ad antiquam normam re-
ducta obtinet (d).

§. 275.

Successio in bonis per crimen laesae
Maiestatis amissis fisco regio relate ad no-
biles, aliasque liberas personas tam in dona-
tionalibus, quam extradonationalibus (e), re-
late item ad cives (f); fisco Ecclesiae relate
ad

(a) 1-ae: 14. 52. §. 2. (b) Vi 1-ae: 14. (c)
Per 1715: 7. 9. (d) 1791: 56. (e) 1-ae:
13. 14. 1715: 7. 9. 62. (f) 1647: 87.
1649: 16.

ad nobiles praediales; dominali vero relate
ad colonos competit (a).

§. 276.

Processus ex crimine laesae Maiestatis
vel consurgit *indirecte*, dum quis donatio-
nem honorum ex hoc titulo impetrat et occa-
sione contradictionis in processu crimen lae-
sae Maiestatis, quin ad poenas agat, com-
probat; vel *directe*, dum immediate, agen-
te fisco regio (b), ad poenas infligendas
proceditur; suspectus de tali crimine an-
te omnem citationem et convictionem car-
ceri mancipatur; unde tamen citatur (c),
et cum fiscus regius bona nonnisi in casu
manifesti defectus occupare possit, bona ta-
lismodi delinquentis in sequestrum sumun-
tur, fructusque conservantur (d); iudex hoc
in processu est Tabula regia (e), unde ad
Septemviralem fit appellatio; accusatorem
fiscus Praesidi insinuare tenetur, qui eius-
dem nomen sine facilitandae defensionis cum
reo communicat (f); fideiussor hic locum non
obtinat (g); proba fit ex documentis litte-
rariis vel testimonio humano, executio vero
quoad personam gladio, quoad res confisca-
tione honorum peragitur.

SCHOL.

(a) 1715: 62. §. 1. (b) 1741: 26. (c) 1715: 7.
(d) *Citt. legg.* §. 3. (e) 1791: 56. (f)
1741: 26. (g) 1715: 7. §. 6.

SCHOL. Per sententiam convictivam in hoc crimine abscinditur filum successionis inter delinquentem, eiusque familiam ita, ac si ille, illiusque bona nunquam ad familiam pertinuissent; neque, si gratia Principis bona convicto reddantur, hoc successionis filum restituitur. 1-ae: 16. 20. 49. 56. Innocentia delati comprobata, bona una cum fructibus intermedio tempore perceptis restituuntur; accusator vero, positiva eius malitia apparente, poena talionis punitur. 1715: 7. §. 8.

§. 277.

C.) *Nota infidelitatis* est delictum publicum, quo quis casus lege specificè memoratos committendo, regni dignitatem, statumque publicum laedit (a).

§. 278.

Casus notae infidelitatis, olim longe plures, hodie (b) sunt novem sequentes: 1.) Si quis semet evidenter contra statum publicum erigat (c). 2.) Authentico sigillo instructae personae, sub hoc sigillo falsas litteras scienter conficientes (d). 3.) Casores falsarum monetarum, aut talibus scienter utentes, et expendentes in quantitate circiter 50 florenorum; huc schedarum quoque bancalium confectio refertur (e): 4.) Qui particulares turbas

(a) 1-ae: 13. 16. 1723: 9. (b) 1723: 9. (c) 1-ae: 14. §. 2. cuius exempla in 1542: 43. 44. *Diaet. Pos. item* 1588: 48. (d) 2-ae: 16. (e) sic iudicavit *Tabula Regia*.

bas concitant, hominesque tranquillitatem regni turbantes conducunt (a). 5.) Publici haeretici, aut damnatae haeresi adhaerentes. 6.) Malitiosi finitimorum castrorum regni traditores. 7.) Arma, victualia, aliave subsidia hosti regni suppeditantes. 8.) Si quis pro suscipienda religione Christi a Turcis transeuntes spoliet, aut infestet. 9.) Tricesimatores, aliique officiales aurum et argentum, inita cum exteris societate, in monetam non cusam, educi permittentes (b).

SCHOL. 1. De poena, successione ac processu in casu notae infidelitatis eadem, quae in crimine, observanda sunt, eo cum discrimine, quod notorius nobilis ante convictionem incarcerari nequeat. 1723: 5. relate ad 1715: 7. 9.

SCHOL. 2. Denuncianti in crimine et nota, prout in aliis fiscalitatibus, una tertia cedit. 1715: 51. 1729: 5. 1751: 16.

CAPVT XIX.

DE IVRE FISCI CIRCA BONA CORONALIA.

§. 279.

Bonorum coronalium nomine veniunt certa iura possessionaria et proventus, qui praecipue ad condignam aulæ regiae sustentationem

(a) 1556: 26. (b) 1723: 9. §. 2—10.

nem destinati, inalienabiliter S. Coronae adhaerent.

§. 280.

Ad bona coronalia lege (a) referuntur omnes Liberae Regiaeque Civitates, Districtus Iazygum et Cumanorum (b), nonnulla oppida cum adnexis possessionibus: ut Visegrád, Vetus Buda, Diósgyőr etc.; fodinae et Camerae salium omnes, fodinae metallorum ab antiquo regiae (c); omnes tricesimae; Saxones regii, eorumque redditus in Transilvania; contributio publica regni, praecipue ad sustentandam militiam lege (d) stabilita.

§. 281.

Fisci iura circa bona coronalia referuntur ad ius domini territorialis, quod in oeconomicis Camera regia, in processibus fisci regis administrat; et ad ius recuperandi boni alienata, quod per processum coronalitatatis, seu ex coronalitate exercet; hunc ex VLAD. D. 7. 1. 2. 3. coram competente iudice legali, prout nempe bona, vel perennali, vel temporali titulo alienata sunt, movet, et probat coronalitatatem boni, appertinentiarumque; processu finito, bonoque Fisco regio

Ius coronalitatatis ad-

(a) Vlad. D. 7: 1. 2. 3. (b) 1715: 24. 1751: 25. (c) 1609: 54. 1618: 29. 1622: 46. (d) 1715: 8.

adiudicato, possessori bonae fidei investitiones ac meliorationes restituuntur (a); possessor vero malae fidei, ut foenerator, et summam investitam perdit, et insuper in tantam summam, quantam investivit, convincitur (b).

C A P V T XX.

DE PRAESCRIPTIONE.

§. 282.

Praescriptio est modus acquirendi domini civilis, quo quis ius alienum per possessionem tempore legibus definito continuatam consequitur vel extingvit (c). Fundamentum praescriptionis est *eminens reip. dominium*; salutis enim publicae interest, ne aeternae lites et fluxa sint dominia.

§. 283.

Requisitum praescriptionis, tanquam conditio sine qua non, est *possessio*, quae ad inchoandam praescriptionem naturalis et civilis esse debet, h. e. praescribens rem prae-

(a) 1609: 54. et Dec. Cur. R. in processu ratione domini Munkács. (b) Vlad. D. 7: 2. 1622: 46. 2-ae: 71. (c) 1-ae: 78.

praescribendam et viribus physicis et animo teneat, ad continuandam civilis sufficit.

COROLL. Ea, quae animo sibi habendi possideri nequeunt: ut sunt bona coronalia, praescribi nequeunt; prout nec is, qui rem praescribendam proprio nomine possidere nequit: ut ignobiles bona nobilitaria, praescribere potest. Ad iura incorporata praescribenda, cum viribus physicis prehendi nequeant, *quasi possessio*; in unius silentio, et alterius exercitio iuris consistens, sufficit.

SCHOL. Bona fides iuxta leges patrias ad praescriptionem nec initio, nec deinceps requiri videtur; admittunt enim leges praescriptionem in bonis violenter occupatis, 1-ae: 46. 78. in debitis liquidis 1729: 37. in rectificatione aut nova divisione, etiamsi frater malitiose damnificatus sit, 1729: 36. etc.

§. 284.

Tempus possessionis per leges in iuribus regalibus contra fiscum ad centum annos, aut tempus immemoriale (a), in ecclesiasticis bonis ad 40. (b), in nobilitariis ad 32. definitum est; perinde actibus potentiariis, litibus pendentibus, rectificationi, novae divisioni, debitis, absque discrimine personarum 32. annis (c); in fundis vero civicis (d), prout et villanis, colonialibus contra colonos anno et die praescribitur (e).

SCHOL.

(a) 1-ae: 25. 78. §. 2. et prol. tit. 10. §. 6. (b) Citt. legg. (c) 1-ae: 46. 78. 79. item 1729: 36. 37. (d) 3-ae: 15. (e) 1-ae: 78. §. 4.

SCHOL. Nonnulla tempora, praesertim tumultuum intestinorum, per leges sunt notata, quibus praescriptio dormit, quaeve a computando excipiuntur; tale est tempus revolutionis Zapolyianae a 29. Aug. 1526: — 1. Martii 1542., 1542: 22.; revolutionis Botskaianae a 1596 — 1613., 1622: 58.; Georgio-Rákóczianae a 1642 — 1649., 1649: 93.; quoad processus pendentes ab 1650 — 1700. ob defectum servatorum iudiciorum octavalium; revolutionis Tökölianae a 1670 — 1686., 1681: 29.; prout et Francisco-Rákóczianae a 1705 — 1711., 1715: 70.

§. 285.

A praescriptione per leges eximuntur 1.) pignora qualiacunque (a), exceptis iudicialibus in fundis civicis, quae anno et die praescribuntur (b); contra litteras tamen pignoratitias praescriptio currit (c). 2.) Inter fratres conditionales ratione dividendarum aut divisionum portionum praescriptio non obtinet (d). 3.) Perinde contra dotem et quartalium locum non habet (e). 4.) nec redintegrationi metarum praescribi potest (f). 5.) personae a praescriptione immunes sunt: in captivitate hostili existentes, iure postliminii gaudentes (g); filii patrem in exilium vel ex amore vel metu Principis sequentes, perinde iure postliminii instructi (h); pupilli ante 16. aetatis annum ratione debitorum, rectificationis, novae divisionis (i).

SCHOL.

(a) 1-ae: 81. (h) 1792: 17. §. 3. (c) 1-ae: 82. (d) 1-ae: 46. 78. §. 5. (e) Citt. legg. (f) 1-ae: 85. (g) 1-ae: 56. 79. (h) Citt. legg. (i) 1729: 36. 37.

SCHOL. Ad interturbandam, rumpendam praescriptionem legetenus inhibito, protestatio, admonitio iudiciaria, litis motio, contradictio coram locis credibilibus, turbatio item via facti sufficit.

§. 286.

Praescriptio rite expleta praebet exceptionem peremptoriam, quae actioni alterius opposita, eam annihilat ita, ut hanc exceptionem opponens intuitu illius iuris processum impeti nunquam possit; caute tamen adhibenda, tum quod ea eversa, cum ius alterius eo ipso agnoscatur, ad alias probas rediri nequeat; tum quod, praescriptione multiplici ac facili modo interrumpi queunte, medium incertum sit. Praescribens per legalem et rite expletam praescriptionem verum rerum praescriptarum dominium consequitur; atque praescriptio longissimi temporis, videlicet 100. annorum, vel immemorialis privilegio, quale turbare Fisco quoque cautum est (a), aequi paratur.

SCHOL. Fiscus contra privatos praescribere nequit, tum quod tantum duo: defectus et nota sint fontes successionis fisci; tum quod Curia Regia, praescriptionem unice in favorem privatorum per leges inductam esse, adfirmet.

S E.

(a) Plures Decis. Cur. Regiae.

S E C T I O II.

D E I V R E A D R E M E X F A -
C T I S L I C I T I S .

C A P V T XXI.

D E C O N V E N T I O N E I N G E N E R E .

§. 287.

Conventio, seu contractus generatim est duorum vel plurium in idem placitum consensus obligatorius. Sunt autem varii ac multiplices contractus, ut *absoluti et restricti, unilaterales, seu gratuiti et bilaterales, seu onerosi, principales et accessorii etc.*

§. 288.

Omnis contractus praeter *solemnia*, quae tanquam requisita valoris lex deponit, et quae pro diversis contractuum speciebus variant, habet etiam quaedam *naturalia* dicta, quae eius ex natura intelliguntur; sic bilateralibus contractibus naturalis est evictio, utriusque partis aequa obligatio; accessoriis, quod principale suum sequantur etc.

N

§. 289.

§. 289.

Essentiale requisitum conventionis consensus est; unde impedimenta consensus *vis*, *metus*, *dolus*, *error*, sunt totidem obstacula conventionis; quemadmodum proinde horum impedimentorum maior vel minor est gradus et influxus, ita conventiones sunt vel seponibiles vel rescindibiles (a).

§. 290.

Ex contractibus generatim resultat frequentissime *processus implementi* ex *MATH. D. 6: 17. VLAD. D. 1: 38. et 1723: 31. coram Tabula Districtuali (b); ad invalidationem contractus ex praeiudicio, vel fraude et dolo, vel ex errore ex 1715: 53. coram Tabula Regia; ad desumptionem vinculi coram Tabula Districtuali.*

CA-

(a) 1715: 53. *Math. D. 6: 26. 1536: 59. 1542: 40. Diet. Pos. 1552: 17. 1687: 13. 2-ae: 71: 83.* (b) 1715: 28. 1723: 30.

CAPVT XXII.

DE CAMBIO.

§. 291.

Cambium, seu *Concambium* iure nostro est permutatio iurium possessionariorum maioris commoditatis causa. Est *sincerum* vel *simulatum*, seu *palliatum*, dum sub specie cambii donatio vel venditio fit; *perpetuum* vel *temporale*; *purum*, quin pecuniae quidpiam superaddatur, vel *mixtum*; *usuroboratum* vel *non*; usus unius anni errorem in Cambio commissum penitus corrigit (a).

SCHOL. Nonnulla cambia cum clausula: *nulum ius, nullamve iuris proprietatem mihi reservando* fiunt: quae tamen clausula cum nec alienanti nec acquirenti favorabilis sit, uniceque extincta familia acquisitrice devolutionem ad Fiscum operetur, inserenda non est. 1-ae: 69.

§. 292.

Cambium sincerum, cuius peculiaris est firmitas adeo, ut nec fratres, nec filii eidem adversari, aut iidem ex neglecta praemonitione vel ex praeiudicio vel fraude impugnare possint, inducit obligationem tradendi id, de quo

N 2

quo

(a) 1-ae: 71.

quo conventum est; circa aequalitatem iuris vero *Cambium redolet naturam cambiati.*

Schol. Praemonitio agnatorum in Cambio ex ipsa rei natura locum non habet; nisi consanguineorum quispiam cambiare volenti eiusdem qualitatis aut melius adhuc bonum dare velit, eumque idcirco iudicialiter admoneri curet. 1-ae: 70. seqq. et plures Decisiones Curiae Regiae. — Ex ipsa quoque Cambii notione patet, praecidium nemini inferri, cum idem pro maiori commoditate et utilitate, in posteros etiam redundatura, fiat.

C A P V T XXIII.

DE EMTIONE VENDITIONE.

§. 293.

*E*mtio venditio est contractus onerosus, quo res aliqua pro pretio in alterum transfertur; duplex est proinde huius contractus obiectum, res *merx* dicta, et *pretium*, quod verum, ut venditori pro motivo rem suam transferendi serviat, iustum, certum ac pecuniarium esse debet; pro pecunia vero habetur omnis moneta pro tempore currens (a).

Schol. Maritus et uxor iuxta 1-ae: 110. item pater ac filius vi 1-ae: 60. quoad bona, resque sibi proprias pro una, eademque persona non habentur; proinde hunc contractum inire possunt.

§. 294.

(a) 2-ae: 45 §. 2.

§. 294.

Inito contractu emti venditi emtor integrum pretium venditori solvere, hic vero rem ab omni alterius iure vacuum et independentem emtori tradere obligatur, secus evictio et indemnitas praestanda venit; obligationi suae satisfacere nolens, per alterum processu implementi cogi potest; certo traditionis tempore non praestituto, obligatio tradendi statim est iuxta illud: *ubi dies non ponitur, praesenti die debetur*; damna usque culpam levem reparantur.

Schol. Damnum ante traditionem, consumato iam contractu, casu datum, emtorem ferit; nisi aliter conventum sit.

C A P V T XXIV.

DE FASSIONIBVS PERENNALIBVS.

§. 295.

*F*assio perennalis est emtio venditio solemnibus iurium possessionariorum titulo perennali legitime facta.

§. 296.

Fassiones varie dividuntur; 1.) ratione fundamenti seu motivi, ex quo fassio celebratur.

bratur; alia est *simplex*, dum nullum iustum alienandi fundamentum adest (a), alia *rationabilis*, alia *necessaria*. 2.) ratione obiecti alia est *de aviticis*, alia *de acquisitis*, fatentis. 3.) alia *consensu regio roborata*, alia non; alia *in perfecta*, alia *in imperfecta* fatentis aetate celebrata, alia *in forma fassionis praecise*, alia *in forma transactionis* ob dubium litis eventum facta, etc.

SCHOL. 1-ae: tit. 59. distingvit inter eas fassiones, in quibus onera fratrum, filiorum etc. assumpta sunt; et secus. *Assumere* vero onera est fideiubere, quod fratres, filii etc. fassionem non sint impugnaturi, haec assumptio vel est *generalis*, dum quis neminem nominando, universim onera assumit; vel *specialis*, dum eorum, quorum onera assumit, nomina recenset. Effectus talismodi assumptionis, olim obtinens, cit. leg. §. 4. et 5. iste exponitur: si assumptio specialis fuit, filii vivo patre alienante ad invalidationem fassionis secus agere non poterant nisi communem honorum aestimationem, et titulo homagii 200 fl. solverent; mortuo vero patre, praestitae aestimatione communi absque homagio, actio competebat; si assumptio generalis tantum fuit, absque ullo onere actio dabatur. — Hodie quid obtineant vid. §. 300.

§. 297.

Solemnitates fassionum perennalium lege expressae sunt sequentes: 1.) Fassio perennalis coram loco vel persona authentica sub sigillo publico authentico celebrari et
ex.

(a) 1-ae: 58.

expediri debet, secus pignus sapit (a). 2.) Fatens vel in persona vel medio Plenipotentiarum adsit, et voluntatem viva voce declaret, oportet (b). 3.) In stilo diserta alienatae perennalitatis mentio fiat, item fassionem viva voce intercessisse. 4.) Fassio authentico loci aut personae protocollo inserenda est (c). 5.) Lingva fatenti ignota confecta fassio, de propositione ad propositionem eidem lingva vernacula explicanda est, secus est ipso iure nulla (d). 6.) Si bona alienanda sint avitica fatentis, omnes ex nexu sanguinis in iisdem ius successionis habentes praemoneri debent; gaudent enim *iure praelationis*, quod iuxta ordinem succedendi vadit; unde praemonitio iuxta propinquitatem graduum (e); et quidem non tantum nuda vendendi voluntate significata, sed una cum conditionibus sincere annuntiationis fieri debet.

SCHOL. 1. Praemonitio in duobus lege expressis casibus necessaria non est, si quis iuxta 1-ae: 60. §. 3. extrema ad alienationem adstringatur necessitate, ut si se ex hostili captivitate redimat, aut olim in actu maioris potentiae, dum reus vel caput vel bona amisit; item si quis portionem boni per modum transactionis cedat. 1-ae: 62. *Plan. Tab. ad inval. trans. Dec. 13.*

SCHOL.

(a) 1-ae: 59—61. 2-ae: 13. 1723: 47. (b) 1723: 29. 35. 40—43. 1729: 24. 1764: 11. (c) 1723: 39. (d) 1687: 13. (e) *Plan. Tab. ad inval. ex negl. praemonit. Dec. 7.*

Schol. 2. Licet foeminae in bonis sexus tantum masculini, et vicini praemonendi non veniant; si tamen foemina vel vicinus alienantem admoneri curet, se bonum emere velle; huic prae extraneo vendere tenetur. 1-ae: 60. §. 10. et plur. Dec. Cur.

§. 298.

Regulae de valore fassionum: 1.) Fassio de acquisitis, nisi fraus et dolus intercesse- rit, non invalidatur. 2.) Fassio in bonis respectu fisci non liberae dispositionis, enato iure fisci non subsistit vi axiomatis: *extincto iure dantis, exstinguitur ius accipientis.* 3.) Per modum transactionis initae fassiones nunquam invalidantur (a). 4.) In aetate imperfecta celebrata fassio, in eademque adhuc revocata, per ipsum fatentem proprio nomine et actoratu invalidari potest (b). 5.) fassio necessaria nunquam (c), 6.) simplex vero de aviticis, actione suscitata, invalidatur (d). 7.) Fassio rationabilis non nisi tunc, si insufficientes sint rationes, rescinditur; censetur autem fassio esse rationabilis, sufficienti nixa ratione, si alienatio portionis aliter in lucrum et emolumentum familiae cedat, et convertatur (e). 8.) de alienis portionibus facta fassio est ipso iure nulla (f).

§. 299.

(a) 1-ae: 62. §. 2. (b) 1-ae: 128. (c) 1-ae: 59. §. 6-9. (d) 1-ae: 59. §. 9. (e) *Ex combin. 1-ae: 59. §. 9. cum prioribus et §. 4. (f) 1723: 47.*

§. 299.

Processus ad invalidationem fassionis ex neglecta praemonitione movetur ex 1-ae: 60. per eum, qui vi nexus sanguinis, et iurium praemoneri debuisset, contra possessorem boni alienati coram Tabula Regia, vel respective Banali (a). Ad actoratum obtinendum probatur nexus sanguinis, et iurium ac aviticitas bonorum; in merito praemonitionem neglectam esse; superata dein quantitate, qualitate ac localitate bonorum, fassio invalidatur, et incattus ad liquidationem inviatur.

§. 300.

Processum ad invalidationem fassionis ex praeiudicio movet coram Tabula Regia ex 1-ae: 58. 59. contra boni possessorem is, cui proximum praeiudicium factum est, et hoc superstitie actio aliis non competit. Ad obtinendum actoratum probatur nexus sanguinis et iurium, atque aviticitas; in merito de fassionis fundamento disceptatur; invalidata dein fassione, et bono actori adiudicato incattus ad liquidationem inviatur. Atque haec actio, cum praeiudicium sit impedita successio, hodierna praxi tantum post mortem fatentis competit; nam viventis nulla est suc-

(a) 1-ae: 60. 1723: 24. seqq.

successio (a). — Foemina vel vicinus movet ex 1-ae: 59. 60. *Processum ad invalidationem fassionis ex non observata admonitione contra possessorem boni coram Tabula Regia.*

C A P V T XXV.
D E P I G N O R I B V S,

§. 301.

Pignus est possessio rei temporanea pro inhaerente aliqua summa pecuniaria; consistit vel in re mobili, vel in re immobili.

SCHOL. A pignore differt *hypotheca* per id, quod in hac res pro securitate absque traditione obligetur; in pignore autem res tradatur; practici interim passim pro synonymis usurpant; est vero *hypotheca* vel *generalis*, securitatem in universitate bonorum alteri constituens, nullumque peculiarem effectum habens; vel *specialis*, certum determinatum fundum creditori assignans, effectumque, ut creditori ex hoc et non alio fundo satisfiat, prodicens, vel *selectiva*, dum creditori optio offertur, ut unde placuerit, se excontentare possit.

§. 302.

(a) *Plan. Tab. ad inval. ex praevud. Dec. 2. 4. seqq.*

§. 302.

realis accessio
Pignus a) rei mobilis est contractus, quo res mobilis in securitatem creditae pecuniae ita datur, ut soluto debito eadem in specie, et statu quo restituatur.

COROL. 1.) Per hoc pignus nec proprietas, nec usus fructus transfertur. 2.) Res debet esse durans, pecuniaeque valorem superare vel ad minus aequare. 3.) Creditor rem, donec solutio praestetur, iure retinet; imo tempore praefixo solutione non facta, praemissa admonitione iudiciaria eandem vendere, pecuniamque suam recipere potest; quod tamen de pretio redundat, impignoranti bona fide reddere tenetur; nam non nisi in materia abactionum et invagationum pignus, debito tempore non receptum, ex integro pignorataro cedit.

§. 303.

b) **R**ei immobilis est triplex: *iudiciale*, per executionem auctoritate iudicis constitutum, in quo usus fructus talium bonorum, donec solutio fiat, ad creditorem spectat (a); *legale*, in lege originem habens, tale habet uxor ratione dotis et allaturae in bonis mariti (b).

§. 304.

ignale
Conventionalis vero est emptio venditio, qua dominium utile iuris possessionarii pro certa

(a) 2-ae: 56. 1792: 12. 17. (b) 1-ae: 103. 2-ae: 24.

certa pecuniae summa, iure solum temporali
 alterum ita transfertur: ut impletis vel
 rescissis conditionibus in statu quo restituatur.
 Vi talismodi pignoratitii contractus pignoratarius
 omnem utilitatem bonorum, quantum
 tamenque sit, percipit; et bona eadem alterum
 rursus in pignus locare potest; idem tamen
 bonum titulo pignoris et proprietatis tenere
 nequit; sunt enim tituli incompatibiles; nec
 natura pignoris per id, si pignoratarius eadem
 donationem superinducat, mutatur; verum
 donationem suam extra possessorem defendere
 debet (a); si tamen impignorans tardius de eodem
 bono possessionem perennalem pignoratario
 faciat, pignus evanescit ita, ut tale bonum
 per familiam titulo pignoris nunquam
 recuperari possit (b).

COROL. Cum pignus tale, tanquam conditio,
 alienationem bonorum a familia sapiat, sicut in
 fassione, ita et hic praemonitio cognatorum
 requiritur et admonitio foeminarum familiae
 ac vicinorum eundem hic quoque effectum
 producit. 1-ae: 60. Consensus tamen regius,
 et statutio in bonis, ut olim, hodie
 necessaria minus sunt; sub privatis enim
 sigillis pignus valide constituitur. 1635: 90.
 1638: 29. 1647: 125. 1655: 52. 1681: 33. 1723: 48.

§. 305.

Conditiones pignori adiectae sunt legales
 aut illegales, quae lege reprobantur, ipso
 ta-

(a) 1-ae: 82. §. 3. 4. item 2-ae: 24. 71. (b)
 1-ae: 82. §. 5.

tamen iure nullae non sunt. Ex sensu legum
 (a) et decisionibus curialibus de legalitate
 et illegalitate conditionum haec regula statui
 potest: *conditiones, quae reuisionem pignoris
 aut impossibilem aut valde difficilem reddunt,
 illegales; aliae contra legales sunt.*

SCHOL. Legales conditiones e. g. sunt: ut pecunia
 pro bonis pignori locatis restituatur, ut admonitio
 praemittatur, ut certus reuisionis terminus
 designetur etc.; illegales vero, si excessivi anni,
 ultra 32. obligentur; si vinculum grave, vetans
 contra pignoris conditiones agere, constitueretur;
 si redemptio pignoris in certa, eaque rara pecuniae
 specie, praesertim maiori summa fieri debeat; si
 plus litteris pignoratitiis inscriberetur, quam depensum
 sit; ut pignoratarius prius, quam omnes colonorum
 restantias incasset, bonum reddere non
 obligetur etc. has et similes conditiones Curia Regia
 in diversis causis pro illegalibus declaravit. Ex
 decisionibus porro curialibus manifestum redditur,
 pignoratarium impletis conditionibus, ad bona pignori
 locata absque processu restituenda, ac ad
 deteriorationes compensandas obligari; sicut vice
 versa meliorationes, quas fecit, proprietarius iuxta
 aestimationem convenientem ei resolvere tenetur.

§. 306.

Processus ex materia pignorum resultant: 1)
 ad invalidationem pignoris ex neglecta praemonitione
 coram Tabula Regia ex 1-ae: 61. 63. Probatur
 nexus sanguinis, iurium, ac aviticitas. 2)
 ad invalidationem conditionum illegalium
 co.

(a) Praeprimis 1-ae: 82.

coram Tabula Regia ex 1-ae: 58. 59. movet successor impignorantis ex praeiudicio contra possessorem, probatque nexum sanguinis et iurium; aviticitatem item et illegalitatem conditionum. 3) *ad transvestitionem conditionum pignoratitiarum* movet non praemonitus ex 1-ae: 59. prout bona aut uni saltem aut pluribus Comitatus adiacent, vel coram Vice-Comite aut iudice nobilium, vel coram Tabula Districtuali (a); petendo conditiones extraneo per impignorantem praescriptas in se transferri; probandum est, quod in prioribus.

§. 307.

4) *Processus pignoris reluatorius*, qui triplex est; *simplex reluatorius*, *liquidatorio-reluatorius*, *admonitorio-reluatorius*; abque hi processus nonnulla inter se communia nonnulla sibi propria habent.

§. 308.

Communia processibus reluatoriis sunt:

I. *Iudicatus*, si pignus est colligatum, h. e. dum plura in diversis Comitatus existentia bona erga eandem summam impignorata habentur, iudex hodie est Tabula Districtualis (b) actori salvo relicto eo, ut si bona

(a) 1807:9. §. 5. (b) *Citt.* 1807:9. §. 4.

na pignoratitia pluribus Districtibus adiacerent, causam suam e respectivis Tabulis Districtualibus coram illa, quam praeeligere placuerit, suscitare et prosequi valeat; nisi reluere volens pro uno bono totam summam offerret; quo in casu, quemadmodum, si pignus colligatum non est, coram Comitatu, pro quantitate nempe pecuniae, vel coram iudice nobilium, vel Vice-Comite, agi potest.

§. 309.

II. *Probatio*: in omni processu reluatorio probanda sunt: *realitas pignoris* vel ex testimonio humano, vel ex litteris pignoratitias usuroboratis; *ius reluendi*, quod actor sibi adplicare tenetur, docendo, se vel proprietarium pignoris, vel subimpignorantem esse; *devolutio pignoris*, quod titulo pignoris bonum usque modernum possessorem devolutum sit, quod in antiquo pignore praepriis necessarium est (a); si portiones boni cuiuspiam impignoratae petantur, earum quoque *quantitas, qualitas, et localitas* probanda est.

§. 310.

III. His in processibus *expensae non refunduntur*, est praeiudicium Curiae. *See II*

§. 311.

idem 2/3 pini contraria

(a) *Plan. Tab. de reluit. pign. in uno Com. Dec. 2.*

§. 311.

Propria cuius sunt: *Simplex reluatorius* admonitionem praemitti non requirit, sed nec respuit; modo in legibus generalibus (a), non vero de admonitorio - reluatorio sonantibus fundetur (b).

§. 312.

Liquidatorio - reluatorius admonitionem cum minori summa, quae in Comitatu trium in Tabulis sex florenorum est, praemitti postulat; de eo sonantem, ut bonum restituat, et si hac summa plus investivit, liquidet actori ad refundendum parato; nihil respondeat admonito, ut semper et quidem impunitus fit, processus hic ex 2-ae: 82. seqq. et 1655: 52. suscitatur, probatisque probandis incattus ad liquidationem inviatur.

§. 313.

Admonitorio - reluatorius exigit, ut admonitio cum integrali summa praemittatur, quam efficit, quidquid seu tempore impignorationis, seu tardius pignoratitius possessor bonis legitime investivit; atque summam hanc pecuniariam viva voce enunciare, aut scri-

(a) Velut 1-ae: 82. (b) Plan. Tab. de reluit. in div. Comit. Dec. 2.

scripto offerre non sufficit, verum cum admonitione effective transmitti et numerata offerre debet (a). Tali admonitione praemissa, et effectum haud producente, hic processus ex 1638: 29. 2-ae: 24. §. 4. 7. movetur, et probato praeter alia eo: admonitionem cum integrali summa peractam esse, incattus, nisi iustam, prudentem ac legalem rationem non subsecutae restitutionis dederit, in restitutione boni, et tanquam foenerator in amissione summae investitae convincetur; imo, si in incatto tergiversatio, ut fructus diutius percipere possit, adpareat, insuper amissione fructuum ab admonitione perceptorum plectitur (b); si vero ex actis processualibus eluceat, incattum bona vexandi studio retinuisse, praeter restitutionem boni, et amissionem summae investitae, insuper in summa tanta, quantam investivit, convincitur.

COROL. Si summa integralis ignoratur, processus iste moveri nequit.

CA.

(a) Plur. Dec. Cur. (b) Dec. Cur.

CAPUT XXVI.

DE INSCRIPTIONIBVS.

§. 314.

Inscriptio est conventio, qua quis ius possessionarium suum ex motivo fidelium et utilium servitorum in alterum transfert.

COROL. Servitia sunt praecipuum motivum atque fundamentum inscriptionis; et quidem vel praeterita vel futura, item vel generatim vel specificè in litteris exposita.

§. 315.

Alia est *perennalis*, dum bonum iure perennali transfertur, et talis passionem perennalem sapit, vel *temporalis*; alia *rationabilis*, dum servitia vera sunt, praemiumque proportionatum, vel *simplex*, si servitia nulla sint; alia *pura* vel *mixta*, dum quaequam summa per inscriptionaliam solvenda est.

§. 316.

Regulae de valore inscriptionum: 1.) *inscriptio perennalis intuitu fisci in bonis donationalibus non secus subsistit, quam si consensu regio firmetur.* 2.) *Temporalis re-*
spe-

spectu familiae, velut nullam mutationem respectu proprietatis producat, stabilis est, et ideo familia inscriptionaliam ante tempus ex usu eiicere volens eidem proportionatam, honorum proventibus respondentem mercedem, praestare tenetur. 3.) *inscriptio perennalis acquisitorum per familiam prorsus everti nequit.* 4.) *inscriptio aviticorum perennalis rationabilis, in qua servitia de praeterito specificè expressa sunt, nunquam invalidatur, nisi servitia simulata esse, actor comprobaret (a); ad iustam tamen proportionem, si excessivam esse pateat, reduci potest.* 5.) *inscriptio aviticorum perennalis, in qua servitia tantum generaliter, aut futura, licet specificè, expressa habentur, invalidatur, nisi inscriptionalista praeterita ad suam speciem deducta comprobet, futura vero expleat.* 6.) *simplex aviticorum inscriptionis semper infringitur.*

SCHOL. In inscriptione praemonitio cognatorum necessaria non est; tum quod fundamentum servitia, suapte tantum personalia, sint, tum, quod per collatum proportionatum praemium pro re ipsa praestitis servitiis, nullum praecudicium illis inferatur.

O 2

CA-

(a) *Plan. Tab. ad inv. fass. ex praesud. Dec. 9.*

CAPVT XXVII.

DE LOCATO CONDVCTO, ET COMMODATO.

§ 317.

A.) *Locatum conductum* est contractus, quo quis pro certa mercede usum rei suae non fungibilis, aut operas illiberales ad tempus aliquod concedit (a).

SCHOL. Operae *illiberales* sunt, ubi fatigio, viribusque corporis opus est; quae vero non tam corporis fatigio, quam ingenio perficiuntur, *liberales* audiunt, quales, cum aestimationem superent, obiectum locati conducti esse nequeunt. *Tempus* hoc in contractu lege in paucis tantum casibus definitur, 1723:66. pro subuleis festum S. Georgii, pro opilionibus S. Demetrii; pro reliquis vero generatio novum annum statuit.

§ 318.

Arenda, cuius usus frequens, est locatum conductum fundorum immobilium frugiferorum. Leges recentiores (b) statuunt, ut arenda rite inita, arendator per fundi dominum propria auctoritate eiici non possit, si conditionibus in contractu positis satisficiat; et ita eiectum Vice-Comes ad usum reponere tenetur.

SCHOL.

(a) *Procl. tit. 2. §. 8.* (b) 1802: 22. 1807: 13.

SCHOL. In arenda, cuius tota materia generalibus legibus *MATH. D. 6: 17. VLAD. D. 1: 38. 1723: 31. §. 8.* applicatur, damnum casu eveniens circa fructus arendator, circa substantiam proprietarius fert.

§. 319.

Contractus socidae est arenda pecorum, seu contractus, quo usus pecorum pro certa mercede ita in quempiam transfertur, ut evoluto tempore in contractu defixo totidem in eadem qualitate restituantur. Vnde liquet, conductorem singulorum individuum dominum evadere, genus vero locatoris esse; quod cum nunquam pereat, pecora talia esse immortalia.

§. 320.

B.) *Commodatum* est contractus, quo quis rem suam non fungibilem ad certum tempus et usum alteri gratis concedit (a). Honorarium naturae commodati non adversatur, modo merces obligata non sit.

*Unilateraliter
beneficium
gratuitum*

CA.

(a) *Procl. tit. 2. §. 4.*

CAPUT XXVIII.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

§. 321.

A.) *Depositum* est contractus beneficus, quo res mobilis gratis custodienda ab uno datur, et ab altero accipitur ea lege, ut quodcumque rite repetenti eadem restituatur (a). In deposito peculiariter bona fides depositarii supponitur; atque hinc est, ut depositum intervertere volens, poena dupli et infamiae puniatur (b).

§. 322.

Processus triplex hinc surgit: 1) *Ad simplicem restitutionem* cum refusione damnorum et expensarum, sine ulla tamen poena, quem ex 1715: 28. et generalibus MATHIAS et VLADISLAI legibus deponens, aut eius successores coram iudice liquidorum debitorum (infr. §. 332.) suscitatur (c); proba realitatis depositionis vel testimonio humano vel scripto documento fit; sin qualitas et quantitas depositi secus determinari nequeat, depositario iuramentum revelatorium imponitur.

(a) *Citt. prol. tit. 2. §. 4.* (b) 1622: 16. (c) 1638: 28. 1715: 28. §. 11. 1723: 30. 34.

2) *Ad restitutionem rei depositae cum poenis violentialibus*, qui praemissa admonitione iudiciaria ex 1638: 28. 1647: 107. coram Vice-Comite suscitatur; et probata depositionis realitate; item, admonitionem praecessisse, depositarius in restitutione rei, poenis violentialibus atque refusione damni vincitur. 3) *Ad restitutionem rerum depositarum cum poena dupli et infamiae*, si depositarius res depositas dolo intervertere, sibi que appropriare voluerit; praemissa admonitione iudiciaria hic processus ob poenae gravitatem coram Tabula Regia movetur, ac edocto dolo, et realitate depositionis, depositarius praeter restitutionem in dictis poenis vincitur (a).

§. 323.

B.) *Sequestrium* est actus, quo usus, et administratio bonorum cuiusdam admittitur, et alteri erga reddendas rationes, et iustam laborum mercedem ad tempus committitur (b).

SCHOL. Sequestrium agente fisco vel familia, cui nempe praeiudicium inferitur, ratione bonorum saltim aviticorum imponitur.

§. 324.

Ad imponendum sequestrium causae iustae ac legitimae adesse debent; quales legibus

(a) 1622: 16. (b) 1723: 48. 1715: 28. 1729: 28 §. 27.

bus notatae sunt: 1) *dilapidatio*, seu profusio irrationabilis (a) 2) *Controversia de fundo*, quae duplicem casum continet; vel nempe duobus de aliquo bono e. g. silva disceptantibus, et usum iuris exercentibus, periculum destructionis tali bono imminet, quo in casu Comitatus sub comminatione actionis fiscalis partes, ut a destructione desistant, admonet; effectu nullo subsequente fiscus Comitatus ad sequestrem et poenam arbitriam (b), contra violatores vero sequestri ad poenam 200 fl. toties quoties desumendam (c) procedit. Vel duobus litigantibus, et determinata executione metus est, ne triumphans bonum, donec causa in superiori tribunali revideatur, disperdat; atque hoc in casu, neutro cautionem dare queunte, bonum in sequestrem sumitur (d). 3) *Ecclesiae beneficiatus ecclesiam et alia ecclesiastica aedificia desolari permittens* sequestro subiicitur (e). 4) *Praelatus beneficiatus in domicilio suo non residens*, nec monitus revertens, per sequestrem adigitur (f); unde praelatos ob officia publica absentes excipi, sumpte intelligitur.

La Maj.

§. 325.

(a) 1723: 48. (b) 1791: 57. (c) 1807: 21.
(d) 1715: 28. 1729: 28. (e) S. Lad. L.
i. c. 8. 1715: 60. 1723: 71. (f) 1741: 16.

§. 325.

Sequestrem aliud est *voluntarium*, cuius licet pauca, quaedam tamen adsunt exempla, aliud *necessarium*, quod nolenti et invito imponitur; aliud *iudiciale* moto processu mediante sententia, aliud *extraiudiciale* sine processu via politica decretum; iudiciale vel est *principale*, ob quod processus suscitatus habetur, vel *accessorium*, quod in processu alia de causa erecto, ob intervenientem sequestri rationem petitur, ut §. priori.

§. 326.

Processus ad imponendum sequestrem per eum, qui praeiudicium infertur, ex 1723: 48. coram Vice-Comite (a) suscitatur; probanda venit dilapidatio, seu alienatio notabilis, vel onerum notabilium in *avatica* sine iustis rationibus facta contractio, circa notabilitatem ratio quantitatis bonorum habenda est, cuius determinatio sano iudicis arbitrio relinquitur. Si silvae devastatio sequestri causa sit, processum ex 1791: 57. fiscus magistratualis suscitatur, periculumque maioris destructionis probatur. In sequestri impositione semper quaequam quantitas pro congrua, et statui sequestrati digna sustentatione determinatur. *Processus ad reserationem seque-*

(a) 1729: 35.

questri exsolutis vel penitus, vel maiori ex parte debitis, per sequestratum ex iisdem legibus erigitur, docendo fundamentum sequestri cessasse.

C A P V T XXIX.

DE DEBITIS.

§. 327.

Debitum isthic sumtum est obligatio certam pecuniae quantitatem alteri solvendi. Est *activum* vel *passivum* (a); *liquidum*, cuius realitas, quantitasque constat, ab ipsa quoque debitore recognita habetur, vel *non liquidum* (b); *scriptum* vel *non scriptum*; *mutuum*, seu debitum liquidum ex pecunia alteri data, vel *auszugale* ex mercibus suppeditatis exurgens, etc.

§. 328.

Liquidum Mutuum reale
A.) ~~Mutuum~~ est contractus, quo res fungibilis alteri ita datur, ut evadat accipientis, sed suo tempore tantundem in eodem genere et interdum etiam cum legalibus ~~ac~~ cessoriis restituatur.

COROL.

(a) 1715: 52. 1723: 48. (b) 1659: 31.

COROL. 1) Mutuus bonorum suorum administrationem habere debet. 2) Termino solutionis praefixo, mutuum reddi debet; termino vero non constituto quodocunque repeti potest iuxta illud: *ubi nulla dies ponitur, praesenti die debetur*. 3) In regula ante terminum praefixum pecunia repeti nequit, nisi debitor facultatibus labescere observetur, aut ad eludendos creditores semet occultet, exitumque e patria paret.

§. 329.

Contractus foeneratio

Legalia accessoria sunt: a) *Census*, seu *interusurium*, quod creditori ultra Capitale pro usu concessae pecuniae, seu in pecunia, seu in operis per debitorem praestari debet. *Interusurium* nonnisi stipulatum praetendi potest, non obligatum in unico casu morositatis dependi debet; tempus morae vero a termino solutioni praefixo, et non observato, vel ab admonitione iudiciaria, aut citatione ad litem computatur; et obligatum *legale* esse debet, quale est 6. per centum (a); plus exigens procedente Fisco regio in amissione interusurii, et totius Capitalis ac insuper poena arbitraria, arresti aut pecuniaria punitur (b); *interusurium* nonnisi a debitis liquidis praestatur (c).

St. mica admodum in liquo Def
sumpit pro criff § 330.

(a) 1622: 46. 1647: 144. (b) 1715: 51. 1723: 120. 1802: 21. (c) 1715: 51. et Dec. Cur.

§. 330.

b) *Expensae processuales*, id est, omnes sumtus et fatigiorum aestimationes, quae creditor in recuperando mutuo suo habuit, actori in debitis liquidis adiudicantur (a); excipitur casus, si debitor solutionem obtulit, et creditor non acceptavit, quo in casu inter usurium quoque cessat (b); Actor tamen in processu liquidum debiti succumbens in regula expensas debitori non refundit, nisi clarum redderetur, processum vexandi studio promotum fuisse (c); in debitis vero non liquidis expensae creditori in regula non refunduntur (d), exceptis debitis auszugalibus, in quibus lege (e) adiudicatio expensarum sancitur.

§. 331.

Processus ob usurariam pravitatem movetur per Fiscum regium ex 1715: 51. 1723: 120. 1802: 21. ob poenae asperitatem coram Tabula Regia, ac usurae realitas evincenda est. Coram iudice Civ. & Cath. et infra

Processus liquidum debiti praemissa admonitione iudiciali cum communica-

(a) 1659: 31. (b) *Plan. Tab. de liq. deb. Dec. 5.* (c) *Ad ment. 1729: 32. et plur. Dec. Cur.* (d) *Ex sensu contrario cit. 1659: 31.* (e) 1723: 53.

tione copiae obligatorialium (a), fundatur in *MATH. D. 6: 17. VLAD. D. 1: 38.* quoad interuraria in 1647: 144. 1682: 46. quoad expensas in 1659: 31. Iudex hoc in processu pro ratione quantitatis variat: usque summam 200 fl. iudicat exclusive iudex nobilium; a 200 — 1000 fl. iudex nobilium vel Vice-Comes; a 1000 — 3000 fl. iudex nobilium vel Vice-Comes, vel Tabula Districtualis; a 3000 — 12,000 fl. Vice-Comes vel Tabula Districtualis; a 12,000 fl. usque in indefinitum Tabula Districtualis (b). Notandum tamen 1) dum debitor hypothecam in diversis Comitatus existentem in concreto constituit, iudex est semper Tabula Districtualis, quantumcunque parvum fuerit debitum (c). 2) Ad determinandam iurisdictionem tantum Capitale spectatur. 3) Si in contractu iudex certus denominatus sit, is erit competens iuxta illud: *provisio hominis, tollit provisionem legis.* Realitate debiti comprobata, debitor in ipsa summa, et, si in actione petita sunt, in expensis quoque vincitur; in executionem primum paratae pecuniae, dein bona immobilia, tandem mobilia sumuntur, quae, si in territorio iudicis convincentis sufficientia haud forent, per *Compassum*, litteras nempe iudicis requisitorias, ut sententiae executionem continuet, in

(a) 1729: 37. (b) 1715: 28. §. 3. 1729: 44. (c) 1723: 31. §. 8.

in alterius iurisdictionis territorio consumatur; iure vero fundum in executionem sumendum denominandi in regula (a) convictus debitor gaudet, quod tamen perdit, inque triumphantem creditorem transit, si debitor fundum contra legum mentem ad elusionem creditorum denominet, vel hypotheca selectiva aut specialis constituta habeatur. Ecclesiastici intuitu executionis gaudent beneficio competentiae, h. e. non excutiuntur ad peram et saccum (b).

SCHOL. Nonnunquam, reali executione minus sufficiente, personalis quoque suscipitur, dum per sententiam iuxta petitum actionale persona quoque debitoris, ut serviendo debitum expungat, adiudicata est. Circa personalem executionem lege sequens modus praescribitur: quindecim diebus potest creditor debitorem retinere, et eodem velut servo aut operario uti; dein excepto ab eodem iuramento, quod certam partem eorum, quae acquisiverit, creditori daturus sit, liberum dimittere debet; quod tamen, si fidem frangeret, partemque promissam dare detrectaret, iudex creditori iterum restituet, quo illo, usque dum debitum exsolvat, uti valeat. 2-ae: 68. 3-ae: 28. МАТН. D. 6: 29. VLAD. D. 1: 92.

§. 333.

B.) *Debitum auszugale*, a germanico *Auszügel* ita compellatum, per merces aut operas, vel utrasque simul creditas contrahitur.

SCHOL.

(a) 1659: 31. (b) 2-ae: 45. seqq.

SCHOL. Debitum hoc ex libris mercatorum aut opificum educi, ac medio extractus *Auszügel* praetendi assolet; libri vero mercatorum duo sunt: *Stratza*, seu maculatorium, et liber principalis *Hauptbuch*, in quo debita ordinate deducta habentur, et qui iuxta 1723: 53. semiprobam facit, si rite ac formaliter conscriptus sit; ad quod requiritur, ut idem per mercatorem ipsum, vel certum eius hominem, et quidem semper eundem scribatur, quo talis de sinceritate libri iurare possit; in uno latere res creditae, earumque quantitas ac qualitas, in altero pretium conventum, seu debitum contineatur; positionum singularum annus, dies, mensis adnotatus sit; nomen item creditoris accurate cum caractere exprimat; omnis demum a libro cancellatio, deletio absit, naturaeque mercium, quas idem mercator vendit, adcomodatus sit.

§. 334.

Fine exigendi debiti huiusmodi mercator aut opifex elenchum mercium subministratarum e libro principali eductum cum fine anni debitori praesentare, nec ulterius differre debet, quo facto, debitor vel exsolvit, vel recognoscit debitum, fitque tali ratione liquidum (a). Debitore neutrum faciente, mercator extractum medio personae fidei-
Notaz Cirz
o Sub R.
zur Not
 gnae, et quidem statim evoluto anno, cum libro conferri, idemque recognosci curat; talique ratione elenchum (b) per personam publicam ad debitorem mittit, eumque iudicialiter admoneri curat; si nec tunc solutio subsequatur; movetur

§. 335.

(a) 1723: 53. (b) *Conformiter* 1729: 37.

§. 335.

Processus debiti auszugalis ex 1723:
 55. coram iudice liquidi debiti; realitas debiti probatur per extractum, si intra annum medio publicae personae authenticatus sit, et ad hanc semiprobam opifici aut mercatorum iuramentum suppletorium imponitur (a); extractu non authenticato, ipse liber principalis producendus est, qui, si rite formaliterque in sensu legis confectus esse comperiat, mercatorque causam intermissae elenchi authenticationis assignet, perinde semiprobam praestat; tali proinde ratione debito plene probato, incattus in solutione summae ac expensarum convincitur; sed et vice versa, incatto absoluto, actor in refundendis expensis processualibus plectitur (b).

§. 336.

C.) *Debitum exteris inter et Hungaros duplici ratione contrahitur; vel nempe*
 a.) *Hungarus est creditor, et tunc debitum suam exigere potest vel via iuris, procuratorem in loco domicilii debitoris exteri constituendo, ac modo ibi recepto procedendo; vel via politica, libellum supplicem intuitu eiusmodi praetensionis, documentis cunctis in Copia vidimata advolutis, immediatae*
 suae

(a) *Citt. 1723: 53 § 4. (b) Citt. leg. §. 3.7.*

petit favorab. comitiva
 suae iurisdictioni porrigendo, quae, motivis discussis, si sufficientia pro convictione deprehendat, libellum Exc. Consilio R. L. H. et hoc Exc. Cancellariae R. H. A. submittit; unde Regi praesentatus, in haereditariis provinciis iurisdictioni debitoris cum eo, ut satisfactionem adurgeat, transponitur, in aliis vero regnis medio legati agitur (a). Vel

§. 337.

b.) *Hungarus est debitor; quo in casu exteri sub amissione pecuniae vetitum est, debita activa hungarica emere aut praeemere (b), ne lucrum (rabath) captent, neve bona hungarica ad manus exterorum devolvantur; propria tamen sua originaria debita exteri via iuris in patria nostra coram competente iudice exigere valent (c). Casus, in quibus Hungarus ad forum extraneum, haereditarium tamen provinciarum, citari potest, sunt si 1.) quaestus gratia litteras cambiales, Wechselbrief, dedit, seque extero iudicio cambiali subiecit; 2.) ab extero debita contrahens, in loco extero se soluturum spondeat; 3.) Societatem commercialem, ad iudicium cambiale spectantem, ingrediatur; 4.) foro proprio renuncians, extero semet subiiciat (d).*

Schol.

(a) 1638: 55. 1655: 33. 1659: 82. 1622. 41. 1715: 64. (b) 1662: 41. §. 2. (c) 1536: 41. 1662: 41. 1715: 20. §. 2. (d) 1792: 17.

P

Schol. Pro favore patriae filiorum intuitu similis processus coram foro extero suscitati lege constitutum est: 1.) ne regnicolae in seii ex non comparuit iniuste in foro extero convincantur, processum movens citatorias medio Cancellariae Hungarico-Aulicae immediatae debitoris iurisdictioni, easdem illico cum debitore communicanti, submittere debet. 2.) Sententiae in foris exteris latae solum eas per iudicem nostrum, quae in validis obligatoribus fundantur, in executionem sumuntur. 3.) Ius tertii v. g. antiquius debitum praetendendum habentis, semper salvum manet. 4.) Bona nobilitaria in executionem sumta pignus sapiunt. 5.) Contra sententias fororum exterorum oppositio in regno locum habet. *si demonstrari possit qual aberratum sit in re v. personam*
§. 338.

*officiale equi
licijus
necesse gerit
in aliquo
negotio*

D.) Debita ex restantiis rationum resultantia, facta distinctione officialium oeconomiarum; non oeconomiarum; publicorum item, privatorum ac mixtorum, sequentia praebent notanda: 1) Officialis cassae publicae singulis ad minus annis rationes suas conclusas iurisdictioni praesentare tenetur per Magistratum medio exactoris censurandas; si vero officialis admonitus rationes reddere nolit, aut nequeat, bonis eiusdem sequestratis, actione fisci ad reddendas rationes stringitur, et fugam adornans, non obstante nobilitate, incarceratur (a). 2) Magistratu rationes officialis rite praesentatae intra bimestre censurare intermittente, mortuo

(a) Sig. D. 6 : 6. Math. D. 3 : 2. 1554 : 20.
1622 : 65.

tuo officiale, eiusdem haeredes a reddendis rationibus immunes sunt; et Magistratus negligens refusione defectus tenetur (a). 3) Impedimentum ponens, quo minus officialis ad rationes reddendas adstringi possit, actione fisci in restantiis convincitur (b). 4) Officiales mixti de Cassa publica omni anno ratiocinari obligantur, et hoc neglecto, Comitatus misso officiale, bona domini pro restantiis in executionem sumit, eique, qui summam restantem exsolvit, resignat; dominus vero talis, si publicam repartitionem augeat, subditos exactionibus vexet, aut publicam contributionem in restantiis relinquat, actione fiscali in poena dupli convincitur (c).

Schol. Officiales L. R. Civitatum et Oppidorum privilegiorum coram nobilibus ibidem degentibus ratiocinari debent, quod de repartitione contributionis quoque praeceptum est. 1715: 77. 1723: 63. §. 8. Et si quis occasione repartitionis, aut exactionis contributionis se magis aliis gravatum esse existimet, nullumque ab eiectione iurisdictione remedium nanciscatur, ad Regem recurrere potest; quo tamen in casu, accusatione iniqua deprehensa, recurrens actione fisci magistratualis, in mandatis, pro singulis, accusatis poenam 100 fl. et refusionis expensarum incurrit; in maioribus poena talionis, nempe infamia, plectitur. 1604: 18. 1567: 9. 1723: 63. §. 16.

§ 339.

(a) 1723: 63. §. 12. (b) Citt. legg. §. 10. 11.
(c) Citt. legg. §. 22.

§. 339.

Processus ratiocinarius, ut officialis rationes praesentet ac reddat, coram Sedria, vel Magistratu Civico, aut Sede dominali decurrit; perinde *processus ad restantias solvendas*, vel *poenam dupli etc.*

§. 340.

E.) *Indebitum solutum*, dum quis ex erronea opinione debitum alicui, quo non tenebatur, solvit, exigendi modus est sequens: primum admonitio cum communicatione documenti, debitum non existisse docentis, praemittitur; ad quam si solutio non sequatur, movetur *processus ad indebitum solutum restituendum* ex prol. tit. 5. ac 1723: 42. §. 7. coram iudice liquidi debiti; mala vero fide in incatto adparente, etiam in interusurio et sumtibus processualibus convincitur (a).

§. 341.

F.) *Debita plura* vel plures debitores vel plures creditores supponunt.

Si plures debitores fuerint, sequentes regulae obtinent: 1.) Quilibet pro distincta summa obligatus, eam solvere tenetur. 2.)

Si

(a) 1-ac: 71. 2-ac: 72.

Si plures pro una eademque summa, non tamen in solidum obligati sint, quilibet ratam solvit. 3.) Uxor non subscripta, etiamsi levatam per maritum pecuniam cum illo simul consumat, nihil solvere tenetur; ex coacquisitis tamen, cum acquisitio, donec debita existunt, nulla sit, mariti debita expungere tenetur. 4.) Pluribus in solidum semet obligantibus, unus, qui solvendo est, totum solvere obligatur.

§. 342.

Si plures creditores 1.) seu iunctim, seu distinctim eandem summam quaerant, suam tantum ratam quilibet acquirere potest. 2.) Pro diversis debitis singillatim agentes, suum quilibet debitum consequitur. 3.) Dum vero plures creditores distincta debita activa habentes contra eundem debitorem simul agunt, et fundi defectus subversetur, de praelatione inter se disceptant, cuius principia, iuxta quae iudex classificationem debitorum facit, per leges (a) tria sunt constituta: a) ipsa natura et indoles rei, seu praetensionis, b) hypotheca, publica auctoritate constituta, c) aetas debiti contracti.

§. 343.

(a) 1723: 107. 1792: 17.

§. 343.

Ante omnem classificationem extradantur res, quae ab obaerato titulo actualis domini repetuntur: ut sunt res depositae, portiones fratrum indivisorum, acquisita propria filiorum, aut bona materna apud patrem obaeratum existentia; allatura uxorea in natura praesens; res pupillares, item commodatae, aut vi contractus socidae apud eum existentes; merces vel pecuniae in commisionem datae; cassa publica. His separatis quoad massam ipsius debitoris propriam fit classificatio hac ratione. *res oppignoratae*

§. 344.

Ad I. Classem referuntur ex indole et natura rei debita privilegiata, qualia sunt: expensae funebrales, praetensio Medici, Chirurgi, Apothecarii; merces servorum conventionatorum, obaerato, servientium; merces item eorum, qui pro conservanda et ordinanda massa concursuali sumtus, operamve conferunt; uti sunt Curator, procurator massae etc.; onera publica v. g. contributio; res titulo domini repetitae, verum in natura amplius non exstantes; debita ex piis fundationibus contracta. *Das legatio, Deputatio, casa privata, allatura si decessus investitio. Si substatentia §. 343. Sufficiat e veri nominis criu*

§. 345.

Ad II. Classem pertinent ii, qui hypothecam publica auctoritate constitutam habent: tales sunt, qui rite intabulati vel qui iam sententia iudicis et executione provisum sunt. Utriusque effectum pensabimus.

§. 346.

a) Intabulatio est debiti coram Comitatu, vel L. R. Civitate, in cuius gremio bona in securitatem obligata existunt, publicatio, et in authenticum protocollum pro iure praelationis obtinendo legitima insertio (a).

Schol. Alibi quam coram Comitatu aut Civitate facta intabulatio nullius est efficaciae. *Plan. Tab. de liq. deb. Dec. 33.* Apud Iazyges quoad Privatos coram magistratu locali, quoad communitatem coram congregatione generali intabulatio valide fit. *Iazy. art. 15.*

§. 347.

b) Sententia iudicialia, si sit reali executione firmata, eiusdem est cum intabulatione roboris intuitu praelationis (b); executione vero non roborata, inferioris est valoris (c); caeterum inter intabulatos aut sententiae iure provisos aetas iuris obtenti prae-

(a) 1723: 107. (b) *Plan. Tab. de liq. deb. Dec. 1.* (c) *Plan. Tab. loc. cit. Dec. 15.*

praecedentiam tribuit (a), quemadmodum inter plures sub eadem sessione intabulatos aetas debiti praeserentiam operatur; praelationem autem intuitu Capitalis habens, eadem quoque ratione interusurii gaudet (b).

Schol. Nec hypotheca conventionalis specialis, nec arrestatio personalis, nec inhibitio praecedentiam tribuit illi, qui hypothecam talem habet, aut arrestari vel inhiberi debitorem fecit; cum nulla lex, nulla decisio id affirmet, et secus etiam innumeris fraudibus locus daretur.

§. 348.

Ad III. Classem spectant simplices chirographarii, seu ii, qui nec intabulati, nec sententia provisi sunt, iuxtaque aetatem debiti contracti classificantur. Ad hanc Classsem iuxta Decisiones Curiae (c) refertur quoque dos scripta; ~~quae~~ licet vi philosophiae iuris dotalistae, cum de lucro captando agant, omnibus creditoribus postponi debent.

§. 349.

Ad IV. Classem referuntur auszugalistsae, quos inter ordo ratione aetatis debiti constituitur (d).

§. 350.

(a) Plan. Tab. loc. cit. Dec. ult. (b) Plan. Tab. loc. cit. Dec. 1. 15. 31. (c) Plan. Tab. de liq. deb. Dec. ult. (d) Plan. loc. cit.

§. 350.

Processus hinc nascuntur sequentes: I. *Concursualis*, dum omnes creditores iunctim agunt; de hoc sequentia.

a) Ut primum impotentia solvendi debitoris iudici innotescit seu ex ipsius debitoris declaratione, cui fides illico habetur, seu ex denunciatione creditorum concursum aperiri petentium, quo in casu per iudicem debitori, ut statum suum tam activum, quam passivum sub iuramento praesentet, imponitur: — concursum creditorum decernit, consequenter constituuntur Commissarii, facultates debitoris obsignant ac conscribentes; curator massae, rerum ad massam spectantium curam gerens; curator item ad lites, realitatem debitorum examinans; demum edictum conficitur, in quo clare exprimenda sunt: iudicium concursus, nomen et character debitoris, terminus praetensiones exhibendi, nomen curatoris ad lites; admonitio quoque addi debet, ut termino praefixo quisque, sub amissione iuris sui, compareat; atque medio huius edicti ad portas domus iudicariae a clavati, ac per ephemerides publicati, creditores omnes citantur, atque concursus aperitur.

b) Actio dein praesentatur vel per Curatorem ad lites, ut iudex creditores citet, quod fit, dum obaeratus se ipsum denunciavit, quo in casu *processus Convocatorius* dici.

dicatur; vel per creditores contra curatorem ad lites, et tunc *processus concursualis* in specie compellatur. Utriusque eadem est indoles.

e) Termino praefixo causa levatur; omnes vero tam creditores, quam qui titulo domini res repetunt, comparere et in causa stare debent; absentium enim et ad terminum non comparentium nulla ratio habetur. Ne simulati creditores irrepant, quilibet realitatem praetensionis suae probare debet; pro sua autem quisque securitate ius prioritatis edocere conatur; quibus praestitis iudex, idem qui in liquidis debitis, massam creditoribus adiudicat, et classificationem facit.

d) Si suspicio subversetur, debitorem res quasdam occultare, urgentibus creditoribus eidem, addita etiam comminatione carceris, iuramentum revelatorium imponitur; imo ad pandendas quoque ac legitimandas fallimenti causas compellitur (a). Dein Curator massae ratiocinatur, ac demum fit executio, qua occasione ab excontentatis in ordine classificationis obligatoriales recipiuntur, et insuper cognitio. Si personalis executio in actione postulata, et per iudicem adiudicata sit, etiam illa suscipitur. Non excontentati vero debitorem, acquisitiones facientem, deinceps quoque ad solutionem trahere possunt; imo si de fraudulenta agendi

(a) 1807: 12. §. 1.

ratione, ac creditores eludendi studio convinci possit, actione quoque criminali, velut fur, convenitur, ac condigna poena plectitur (a).

Schol. Processus concursualis a *credali*, apud quasdam nationes obtinente, differt: in *credali* singuli creditores ob fundi defectum certam partem a proportionem debiti sui perdunt; non item in concursuali, in quo integra debita iuxta classificationem exsolvuntur.

Iudex est competens pro lubitu

§. 351.

II. *Processus prioritatis* locum habens, dum quispiam, qui ex indole praetensionis suae tardius solvi debuisset, alterum praecessit, movetur ex prol. tit. 5. 1792: 17. 1723: 107. per eum, qui prior exsolvi debuisset, contra praevententem, ut bono illi adempto, idem sibi tradatur. Realitas debiti, defectus fundi apud directum debitorem, ac ius prioritatis probanda sunt.

Coram iudice liquidum debiti, creditoris prius excontentati

§. 352.

III. *Processus ex superfluitate fundi*, et IV. *ad superinscriptionem* movent creditores ob defectum fundi non excontentati contra creditores excontentatos, si bonum per executionem illis datum, maius ac illorum debitum fuerit. Per priorem petitur, ut eum

bo:

(a) *Citt. legg.*

bonum plus valeat, quam debitum incatti efficiat, actoris quoque debitum bono illi inscribatur, et possessor illud exsolvat; atque hinc superfluitas fundi vel ex conscriptione, vel ex proventibus annuis probanda venit. Per posteriorem vero disiunctive postulatur, ut incattus vel bonum actori cedat, vel debitum actoris bono superinscribat, et exsolvat; et ideo huic processui admonitio iudicialis cum integrali summa, bonis iam inhaerentibus praemitti debet. Uterque hic processus naturam liquidi debiti habens, fundatur in prol. tit. 5. et argumento 1. ae. 103.; ad actoratum consequendum requiritur, debitorem communem ad saccum et peram excussum esse; praeter realitatem vero debiti, in utroque bonum per incattum titulo pignoris possideri, probandum est.

C A P V T XXX.

DE FIDEISSIONE.

§. 353.

Fideiussio est contractus accessorius, quo quis obligationem tertii pro uberiori alicuius securitate in subsidium assumit.

COROL. Hinc liquet 1.) fideiussionem in favorem creditoris interponi, et principalem debitorem inde prorsus nullum capere favorem; unde fideiussio

Fideiussor & vas fidei iurat vel absolute & sub condit. Item & cavet pro certa summa & in genere, et prout cavet. tenetur

deputare potest quod se obligare valeat non tantum pro debito sed etiam his obligationibus exceptis criminibus causis

sio ab *expromissione*, in qua expromissor alterius debitum et obligationem principaliter in se assumit, natura sua differt. 2.) Fideiussorem *beneficio ordinis* gaudere, quod opponit, si prius, quam principalis debitor excussus sit, ad litem trahatur; quo tamen beneficio destituitur, si debitor, licet alibi, in Hungaria tamen nihil, vel sperativas tantum facultates habeat; tempusque solutionis iam evolutum sit. 3.) Cessante obligatione principali, fideiussionem quoque vi 2. ae. 52. cessare; nisi nullitas principalis obligationis ex privilegio iuris profuatur; quo in casu fideiussor, ut principalis debitor contractui satisfacere tenetur: e. g. pro pupillo absque tutoris consensu fideiubens, debitum exsolvere obligatur.

§. 354.

Processus hinc oriuntur: 1.) *Creditoris contra fideiussorem ad persolutionem debiti*, qui vel directe et immediate contra fideiussorem movetur, vel principali debitore lite convento, accessorie fideiussor quoque citatur. Realitas debiti, fideiussio, ac solvendi inhabilitas in principali debitore probanda veniunt. 2.) *Fideiussoris contra debitorem principalem* in meliori fortunarum statu positum ex prol. tit. 5. fideiussor etenim creditori satisfaciens, regressu ad debitorem gaudet.

CAPVT XXXI.

DE TRANSACTIONE.

§. 355.

Transactio est conventio, per quam iura quaedam dubia et litigiosa non gratis, sed aliquo dato, promisso, vel retento, inter partes determinantur (a).

COROL. 1.) Transactio ab *amica compositione* in qua gratuita fit ex una parte renunciatio, fert, licet in praxi passim pro synonymis habeantur. 2.) Pars promittens, et tempore convento non satisfaciens, transactione idcirco haud evanescenti processu implementi adigetur. *Plan. Tab. ad inval. trans. Dec. 17.* — 3.) Fundamentum transactionis est dubius litis eventus. 4.) Ad transactionem quilibet concurrentium vel personaliter, vel per plenipotentiarium consensum suum dare debet. *Plan. Tab. loc. cit. Dec. 2. 6. 13.*

§. 356.

Quo transactio legitime fiat, vel coram iudice causae, vel loco aut persona authentica per modum fassionis peragatur, oportet (b).

SCHOL. Tutor non nisi transactionem necessariam, aut utilem pro pupillo inire potest; secus pupillus.

(a) 1-ae: 62. 72. (b) *Plan. Tab. ad inval. trans. Dec. 11.*

pillus, ad aetatem legitimam perveniens, eandem evertit. 1-ae: 127. *Plan. Tab. ad inval. trans. Dec. 5.*

§. 357.

Effectus transactionis rite initae sunt:
1.) Portio boni immobilis per transactionem acquisita eodem prorsus iure, quo corpus, cui accedit, gubernatur. 2.) Tanti est roboris transactio, ut in regula invalidasi nequeat. 3.) Per transactionem omnibus remediis iudicis sustentativis transigens renunciat; proin nec documenta litteraria deinceps reperia, nec rationes novae innotescentes, transactionem legitime semel initam evertere queunt.

§. 358.

Processus hinc resultant: ad implementum; ad poenam vincularum; ad invalidationem transactionis, vel damnosae per tutorem initae ex 1-ae: 116., vel ex fraude aut dolo; vel eius, in qua de portionibus etiam non concurrentium transactum est ex 1-ae: 60. 1723: 47.

CAPVT XXXII.

DE MODIS OBLIGATIONES TOLLENDI.

§. 359.

Modi obligationes tollendi sunt: solutio, debito tempore, loco et modo praestita; confusio, seu unio, dum ius praestandi et obligatio praestandi in unam, eandemque personam confluunt; expromissio, quopiam totam debitoris obligationem in se principaliter assumente; depositio rei praestandae debito tempore et modo ad manus iudiciarias facta, pro qua custodia iudex vi cesimalitatem detrahit; renunciatio iuri suo; et quidem in contractu oneroso, ubi utriusque consensus requiritur, mutuus dissensus, in benefico remissio, seu acceptilatio dicitur; Cessio; praescriptio; invalidatio, et plures alii.

SE-

SECTIO III.

DE IVRE AD REM EX FACTIS ILLICITIS.

CAPVT XXXIII.

DE DELICTO ET INIVRIA IN GENERE.

§. 360.

Delictum est factum liberum et externum legi humanae poenali contrarium. Aliud est publicum, securitatem publicam immediate turbans, aliud privatum, aliud mixtum; aliud porro reale, quod facto, aliud verbale, quod verbis perpetratur.

SCHOL. Hoc loco, ut iam §. 132. animadversum est, delicta tantum privata et publica politica, actione nempe civili perseguenda, exponentur; delictis publicis ad ius criminale, quorsum spectant, relegatis.

§. 361.

Iniuria est laesio per alius delictum accepta. Proin ut effectus delicti consideratur.

Q

CA.

CAPUT XXXIV.
DE MAIORI POTENTIA.

§. 362.

Actus potentiarius generatim est delictum, quo alter per vim laeditur. Committitur vel *per se*, dum auctor delicti absque sociis ipse actum perpetrat, vel *cum assumtis*, dum principalis delicti auctor cum sociis ac adiutoribus actum conficit (a); vel *per missos*, dum auctore delicti absente ex immediato eiusdem iussu alii actum consumant; vel *per commissionatos*, si auctor delicti aliis in mandatis dat, ut certis adiunctis evenientibus, actum ponant.

SCHOL. Olim actus potentiarii omnes eiusdem erant ordinis, SIG. D. 6: 6., hodie dispescuntur in actus *maioris* et *minoris* potentiae. MATH. D. 6: 15. VLAD. D. 1: 55. 56. 2-ae: 67.

§. 363.

Actus maioris potentiae est delictum privatum reale, quo quis alterum in casibus huc reductis vi laedit. Casus maioris potentiae lege expressi alii *antiqui*, alii *novi* sunt.

(a) 1-ae: 88.

§. 364.

a) Antiqui, per antonomasiam *quinque casus* dicti, sunt: 1.) Invasio domus, sive Curiae nobilitaris. 2.) Arrestatio, captivatio, detentio nobilis personae. 3.) Verberatio vel vulneratio personae nobilis citra iustam ab ea datam causam. 4.) Occupatio bonorum et appertinentiarum nobilitarium. 5.) Interentio nobilis iniusta (a).

§. 365.

b) Novi sunt: 1.) Verberatio, vulneratio, aut detentio officialium publicorum in munere suo legitime procedentium, sine nobilitatis consideratione (b). 2.) Verberatio aut vulneratio eorum, qui in diaeta sunt, eorumque familiarium; quorsum et ii referuntur, qui ad Sedrias, aliaque iudicia, aut qui occasione computus militaris pro querelis proponendis eunt, vel redeunt (c). 3.) Verberatio aut mutilatio (nominatim excusio oculorum) fratrum, et consanguineorum ad summum usque quartum gradum, et non ulterius. 4.) Litterarum salvi conductus violatio (d).

SCHOL. Casus hi novi olim erant casus notae infidelitatis; et per 1723: 10. ad casus maioris potentiae translati.

Q 2

§. 366.

(a) Math. D. 6: 15. Vlad. D. 1: 56. 2-ae: 42. §. 5. (b) 1723: 10. (c) Cit. leg. §. 7. 8. 9. (d) 1-ae: 14. 1723: 10. §. 3.

§. 366.

Poena maioris potentiae olim erat amissio vitae et honorum copulative, quo tempore in eadem dictanda inter seculares, ecclesiasticos, ac mulieres discrimen vigeat (a). Successu temporis haec poena usu et consuetudine *disiunctiva* evasit, qui usus deinceps in positivam legem (b) transivit. Recenter usu Curiae regiae inductum est, ut reus *in amissione honorum tantum* vincatur.

§. 367.

Occasione infligendae huius poenae imprimis ex bonis convicti 200 fl. titulo homagii, item expensae processuales desumuntur, actorique resignantur; bona vero, ad ratam propriam cedentia, mobilia perennaliter, immobilia communi aestimatione (c) redemptibiliter, et quidem tantum sub iurisdictione iudicis convincentis incattus amittit, ex quibus duae tertiae iudici, una actori cedunt. Assumpti, missi, commissionati, peraeque citandi, tanquam correi in eadem poena vincuntur (d).

§. 368.

(a) Alb. 38. Math. D. 6:72. Vlad. D. 7:52. 2-ae: 42. 44. (b) 1729:34. (c) Iuxta 1-ae: 133. (d) *Citt. legg. ac plures Dec. Cur.*

§. 368.

Processus maioris potentiae quoad casus antiquos in MATH. D. 6: 15. VLAD. D. 1: 56. 2-ae: 42. 44. 45. quoad novos in 1723: 10. fundatur. Iudex ratione colonorum est sedes dominalis, ubi processu impensionali proceditur, ratione civium Magistratus civicus, ratione nobilium Tabula Regia aut Banalis (a). Actio, velut poenalis, est tantum personalis; mota tamen et contestata lite, etiamsi reus moriatur, eadem contra Successores continuari, ac sententia ferri potest (b); in actione vero tam ipse actus potentiaris, quam etiam tempus, locus, modus patradi casus exponi debet (c). Praeter realitatem actus in casibus antiquis actor nobilitatem suam probare tenetur, si per incattum in dubium vocetur, quod hoc in casu, cum praetensio omnis ex laesa nobilitari praerogativa formetur, impune fit (d); nobilitatis tamen radicalis proba non requiritur. Hoc in processu, maxime in antiquis casibus, revocationi procuratoris locus non est (e).

SCHOL. Atque haec hodie; olim intuitu huius processus plura obtinebant. 2-ae: 55. 56. 57.

C.A.

(a) 1729:34. §. 4. 5. (b) 2-ae:61. Plan. Tab. ad act. mai. pot. Dec. 2. (c) 2-ae: 26. 82. (d) Plan. Tab. de actorat. person. Dec. 2. (e) 1550: 56.

C A P V, T XXXV.

DE MINORI POTENTIA, SEV VIOLENTIA.

§. 369.

Minor potentia, seu violentia est delictum privatum reale, quo quis alterum extra casus maioris potentiae vi laedit.

§. 370.

Poena violentialis consistit in centum florenis cum accessoriis, h. e. cum refusione damnorum et expensarum (a). Hac poena plectitur *principalis patror*; assumti etc. nobiles distincto processu conveniantur, ignobiles vero principalis patror iuristatuere tenetur, et in singulorum homagiis, seu ratione cuiusvis in 40 fl. convincitur, si actor eorum nomina specificè recenseat; hominum tamen vagorum, ignotorumque numerum probare sufficit (b). *Civitas violentiam* patrans coram Vice-Comite, ut unus nobilis, in 100 fl. cum accessoriis punitur; assumti cives vero peculiari processu, et quidem hoc in casu etiam coram Vice-Comite

(a) *Vlad. D.* 1: 55. 2-ae: 67. §. 8. 1563: 48. 1638: 27. 1659: 31. 1608: 3. 4. *ant. cor.* 1609: 29. 1613: 23. (b) 1655: 56.

mite conventi, in 100 fl. convincuntur; relate ad satrapas, quos Civitas iuristatuere praecipitur, in singulorum homagiis plectitur (a). Alias cives separatim violentiam committentes coram Magistratu suo conveniuntur, ac ex usu in 40 fl. homagio cum accessoriis convincuntur. *Libertini* ex bonis uxoreis, maternisve violentiam patrans poenam, ut nobiles, luunt (b). *Officiales dominales* qua tales, seu ex officiolatu violentiam committentes, tanquam nobiles considerantur, et executio ex bonis Domini terrestris, salvo ad officialem regressu, peragitur (c).

§. 371.

Actus violentos vindicandi modus duplex est: a) *via facti*, qui modus ad reales saltim violentias, seu dum in bonis, aut iuribus laesio fit, pertinet; concedente namque lege (d) res ereptae, aut ius laesum impune intra annum revindicari possunt. b) *via iuris*, qui modus dispescitur in summarium, magis politicum, et stricte iuridicum, seu processualem; *modus politicus* legibus (e) ita regulatus habetur: facto per partem laesam ad Vice-Comitem recursu, hic cum adiunctis ad faciem loci exire, partes audire, et

(a) 1618: 60. 1635: 16. 1647: 81. 1649: 18. 19. 1655: 84. 85. 1659: 48. 1662: 33. 1681: 42. (b) 1659: 70. 1687: 18. (c) *Sig. D.* 6: 6. *Vlad. D.* 1: 24. 2-ae: 19. 48. (d) 1-ae: 68. (e) 1802: 22. 1807: 13.

et bonum recenter per alterum occupatum intra annum a die investigationis sub poena amissionis officii (a) restituere, eiectumque reponere tenetur; quod si ob resistantiam fieri nequiret, ex generali Congregatione brachium ordinatur. Salva insuper laesi ad poenas processu violentiali agendi facultate. *Modus stricte iuridicus*, seu processualis geminus est, vel suscitatur *processus violentialis*, quo repositio cum poenis, vel *repositio-nalis*, quo restitutio absque poenis petitur.

§. 372.

Processus a) violentialis, seu *querulosus* in 1-ae: 68. 2-ae: 26. 82. 1608: 3. 4. post cor. 1609: 29. 1613: 23. fundatus coram Vice-Comite decurrit (b). Actio legibus (c) id expresse postulantis, contineat tempus, modum, locum patratae violentiae, nomen actoris et incatti; an hic solus vel cum assumptis etc. nomina eorum quoque exprimendo, actum perpetraverit; dum nomina assumptorum recensentur, subiungenda est clausula: *exmissis tamen de iure exmittendis*, ne nobilis inter illos existens poenam dehonestationis (d) postulet; si vero de bonis agitur, quantitas, qualitas et localitas specificanda est addito: *oculariter etiam, si opus fue.*

(a) 1542: 5. *Diaet. Pos.* (b) 1729: 35. (c) 2-ae: 26. 61. 67. 82. (d) *Iuxta* 2-ae: 36.

fuerit, remonstrando. Probanda³ est realitas actus ad incattum, ut auctorem reducendo; item ratione fundorum pacificum ad minus unius anni possessorium, quod tamen necessarium haud est, si legitimum possessorii sui titulum, ut est executio, doceat. Si hoc in processu incattus nobilitatem actoris in dubium vocet, eum actor stringere potest, ut nobilitatem vel directe neget, vel non vellicet; si directe negaverit, actor comprobata nobilitate sua, incattum in poena 200 fl. convinci curat (a).

SCHOL. *Poena indebitae* est eadem poena, quam nobilis incattus subeundam habuisset, per modum reconventionis ob processum violentialem non rite motum, actori dictata. Haec poena, ratione assumptorum locum minus habens, atque in 100 fl. sine accessoriis consistens, in tribus casibus obtinet: 1.) Si quis factum, re ipsa non violentum ad processum violentialem trahat, 1613: 23. §. 2. 3. 1609: 29. §. 2. nisi lex specialis in casu etiam non violento processum violentialem admitteret, ut ratione decimarum, exarendationis educilli etc. 2.) Dum quis per processum violentialem proprietatem quaerit. cit. 1613: 23. §. 18. *et Dec. Cur.* 3.) Si ex actis processualibus pateat, processum violentialem pure vexandi studio motum fuisse, quod est, dum actor nec semiprobam praestat. Cit. lex. §. 3. *Plan. Tab. ad poen. viol. Dec. 30.*

§. 373.

b) *Repositio-nalis*, ad realem violentiam unice spectans, fundatur in 1542: 4. 5. Di.

(a) 2-ae: 36.

Diaet. Pos., si a fisco repetitur in 1681: 11., quoad fructus reddendos in 1625: 44. 1802: 22. 1807: 13. Actio, ut in processu violentiali omnes circumstantias exprimere debet; de nominandis tamen assumtis, cum poena nulla petatur, sollicitudo superflua est; fructus nihilominus occupatorum honorum et expensae processuales postulari possunt (a). Realitas violentiae, incatto adplicanda, pacificum possessorium, quantitas, qualitas, localitas probanda sunt. Index in regula est Vice-Comes; nonnunquam tamen processus hic ad Tabulam Regiam spectat; si incatti possessorium antiquum sit, forte nova donatio superindueta habetur, quo in casu proba iuris praestanda est; item si bona post violentiam difficultatibus, per Tabulam Regiam discutiendis, involuta sint: uti sunt Cambia, inscriptiones etc. invalidandae; atque talis quoque in casu radicalitas iuris docenda est (b).

Schol. 1. De ignobilibus violentia laesis tenendum: ignobilis contra nobilem processum violentialem cum poenis nunquam suscitare potest, 3 ae: 31. et Dec. Cur.; qui tamen sub Assistentia Fisci subsistit; quo in casu nobilis in poena 40. fl. cum accessoriis praeter repositionem actoris convincetur. Si vero pro laeso servo, aut colono suo, dominus nobilis agat, iuxta 3-ae: 31. incattus in integra poena punitur, imo praeter 100 fl. ob laesam domini

(a) Iuxta Dec. Cur. (b) Plan. Tab. de instit. Dec. 8. et plures aliae.

mini iurisdictionem, eundem adhuc in 40 fl. plectendum disponit; unde tamen Curia Reg. recessit, et poenam nonnisi 100 fl. dicitat. Plan. Tab. ad poen. viol. Dec. 31.

Schol. 2. Officiali violentiam patrans et ex officio discedente, actio non contra dominum dirigi, verum officialis, qua talis, seu ex officiolatu citari debet; ratio est, quia ex bonis violentiam patravit; dein, si qua privatus citaretur, executio ex bonis domini fieri non posset; denique, si ex officiolatu citari nequiret, petitio laesi eluderetur.

C A P V T XXXVI.

D E I M P E N S I O N E.

§. 374.

Impensio est ad legitimam requisitionem laesi nobilis, per dominum de iurisdictione nato suo ignobili, actum potentiarium suapte committente, debita iustitiae administratio (a).

§. 375.

Processus impensionalis praerequirit, ut laesus dominum iurisdictionati laedentis iudicialiter admoneri curet, qualis admonitio in 3-ae: 25. 26. 1729: 41. fundata, actionis vices

(a) 3-ae: 25. 26. 1729: 41.

vices supplet, unde etiam actio *admonitorio-impensionalis* dici consuevit; in qua, expressa sint, oportet: petitio impensionis, ut tempus impensionis praefigat, laedentemque iuri statuat, ius dominale admoniti; item an impensio de maiori vel minori potentia petatur. Tali admonitione peracta dominus intra quindenam, terminum celebrandae Sedis dominalis, quem pro arbitrio mutare aut differre nequit (a), praefigere, eumque admonenti insinuare obligatur; quo adveniente causa levatur; dominus vero per Fiscalem comparet, iurisdictionatamque pro iuristatuto declarat; peculiare hoc in processu est, appellationem a sententia interlocutoria dari, qua interposita dominus processum in origine illico iudici nobilium resignare obligatur, in Sedria referendum; unde condemnatione non confirmata, pro continuatione remittitur. In merito dominus subditum suum per satrapam accersiri curat, quo seimet defendat; qui probato per actorem maioris potentiae actu, in amissione bonorum, minoris vero potentiae in poena 40 fl. cum refusione damnorum et expensarum vincitur.

Schol. Hoc in processu, dum testes examinantur, dominus, eiusque officiales abesse debent, testesque per testimonium legale authenticantur. 1729: 41. §. 5.

§. 376.

(a) 1729: 41.

§. 376.

Processus ad poenam non impensionis locum habet, si dominus intra quindenam terminum non constituat, aut eundem differat; si processum, appellata interposita, illico non resignet, aut reversum continuare dubitet; suscitatur ex 3. ae: 26. §. 8. 9. 1609: 29. §. 9. 10. 1713: 23. §. 12. 13. — 1729: 41. coram Vice-Comite directe contra dominum non impendentem ita, ut illi quoque, contra quos impensio petita est, velut assumpti nominentur, et iuristatui petantur. Probato: admonitionem peractam esse, casumque aliquem non impensionis, subversari, non impendens pro se in 100 fl. pro iurisdictionis in singulorum homagiis vincitur. Si tamen colonus ante admonitionem profugerit, idque dominus probare possit, absolvetur, et actor ex rebus coloni relictis satisfactionem obtinebit (a).

CA-

(a) 3. ae: 26. §. 9. 11. 12. 16.

CAPVT XXXVII.

DE LARVA.

§. 377.

Larva est delictum privatum reale, quo quispiam dolose alienae familiae nomen, personam, titulum, iura assumit (a).

COROL. Casus talis est: si quis assumto alterius nomine, debita contrahat, fassiones de bonis illius celebret; successionem, divisionem petat etc. verbo: dum praeiudicium illi inferret.

§. 378.

Poena larvae pro diversitate casus est varia: larvam ipse assumens, poena servitutis perpetuae plectitur (b); scienter continuans, immissione, velut primus assumens (c); possessionatus vero, ut falsarius litterarum punitur (d).

§. 379.

Processus larvae, seu ad poenam larvae per eum, cui per larvam praeiudicium fa-

(a) 2-ae: 16. 1723: 46. (b) *Citt.* 1723: 46. §. 2. 3. (c) *Citt. legg.* (d) *Infr.* §. 385. *Schol.*

factum, aut intentatum est, ex 1723: 46. ac 2-ae: 16. suscitatus ob gravitatem poenae (a) coram Tabula Regia decurrit. Realitas delicti comprobanda est; hac vero non probata, actor in refusione expensarum vincitur (b).

CAPVT XXXVIII.

DE PRODITIONE FRATERNI SANGVINIS.

§. 380.

Proditio fraterni sanguinis est delictum privatum reale, quo quis legitimum suum sanguinem intra quartum gradum pertinaciter abnegat, vel iustis sanguinis iuribus excludere nititur. (c).

COROL. Casus talismodi essent: si quis novam donationem impetrans, reliquos fratres exmitteret, si foemina in bonis utriusque sexus se praefici curaret, si quis fratres, sorores pro amentibus, ut a successione excludantur, declararet; ingessionem legitimam in processu per se moto cognatis denegaret etc. Ultra tamen quartum gradum delictum hoc non incurritur ex usu. *Kitt. Dir. method. Cap. 9. quaest. 25.*

§. 381.

(a) *Ex mente* 1723: 12. (b) *Plan. Tab. ad poen. Larv. Dec. 2. plures.* (c) 1-ae: 38. 39. 1723: 46.

§. 381.

Poena proditionis fraterni sanguinis est infamia; amissio item honorum in perpetuum, ex quibus sanguinem excludere voluit, cum servitute perpetua. Si vero cum hoc delicto periculum quoque connexum sit, huius quoque poena infligitur (a).

§. 382.

Processus proditionis, seu ad poenam proditionis ob subversantem iurium radicalium discussionem (b) coram Tabula Regia decurrit; realitas delicti, proinde nexus sanguinis, vel sanguinis et iurium probari debet.

Schol. Nonnunquam alio in processu accessorie poena proditionis fraterni sanguinis petitur.

C A P V T XXXIX.

DE DELICTIS CIRCA DOCUMENTA LITTERARIA COMMITTI SOLITIS.

§. 383.

Delicta circa documenta litteraria committuntur vel conficiendo litteras falsas, aut iisdem

(a) *Citt. legg.* (b) 1715: 28.

dem scienter utendo; vel detinendo litteras alienas, neque post admonitionem restituendo; vel litteras missiles intercipiendo.

§. 384.

A.) Confectio falsarum litterarum est delictum privatum reale, quo quis extra publicae fidei dignitatis functionem falsas litteras procudendo, vel documenta corrumpendo, vel talibus scienter, utendo, alterum laedit, vel laedere intendit. Lex (a) quatuor distinctos huius delicti casus recenset: 1.) Dum quis falsas litteras conficit, iisdemque alterius vitae insidiatur; 2.) dum iisdem vitae simul et bonis nocet; 3.) si solum bonis, honori, famae alterius inhiat, sicque eum damnis ac sumptibus oneret; 4.) si nec vitae nec bonis alterius insidias struens, pro suo, aut alius commodo falsas litteras conficiat.

§. 385.

Poena in casu primo est amissio vitae; in secundo amissio vitae, et damnorum illatorum reparatio, id est: ereptorum bonorum cum omnibus fructibus ac sumptibus processualibus restitutio (b); in casu tertio damni reparatio cum perpetua infamia, in quarto poena arbitraria (c).

Schol.

(a) 1723: 11. 12. (b) 1723: 11. §. 10. 11. (c) 1723: 12.

Schol. Possessionatus larvam scienter continuans, vi legum patriarum, ut falsarius litterarum, puniendus est; ex dictis proinde poenis larvato possessionato non alia, quam ea casus tertii, infamia nempe cum recompensatione damnorum, adplicari poterit.

§. 386.

Processus confectionis falsarum litterarum, seu ad poenam falsariorum in primis tribus casibus coram Tabula Regia, in ultimo coram Comitatu decurrit (a). Realitas delicti ad incattum adplicanda probari debet; delictum ad unum ex dictis quatuor casibus, quo proportionata poena dictari valeat, reducendo.

§. 387.

B.) *Detentio litterarum* est delictum privatum reale, quo quis aliena instrumenta litteraria nec post legitimam repetitionem restituit, sed sine iure detinet (b).

Schol. Ad legitimam repetitionem iudicialis admonitio praerequiritur. 3-ae: 26.

§. 388.

Modi repetitionis instrumentorum litteralium sunt quatuor:

I. Per *impositum silentium*, dum incattus posita exceptione iudicium interpellat, ut

(a) Oitt. 1723: 12. §. 1. (b) 1622. 14. 75. 1647: 138. 149. 1649: 59. 1689: 43. 1662: 35. 1681: 30.

ut actori, apud quem litteras ad sui defensionem necessarias existere comprobat, restitutionem earundem imponat; quo in casu iudex restitutionem litterarum sub iuramento revelatorio; hoc vero praestare intermittenti silentium imponit, h. e. actor, donec incatto litteras reddiderit, a processu continuando arcetur (a).

§. 389.

II. Per *respirium*, dum quispiam ratione bonorum aut iurium impetitus, litterasque ad sui defensionem apud tertium habens, a iudice respirium, seu litis dilationem, quo interim litteras repetere possit, postulat; quod etiam iudex, cognita rei iustitia praestat; olim quidem unus tantum annus (b); hodie (c), modo in repetitione documentorum diligenter versetur, longius etiam tempus conceditur.

§. 390.

III. Est *accessorius*, dum in processu principali ad restitutionem quorundam bonorum, simul accessorie litterae, eadem bona tangentes repetuntur (d); quo in casu actore litteras specificare non valente, incatto iuramentum revelatorium, iuxta quod litteras reddere tenetur, imponitur (e).

R 2

§. 391.

(a) 1622: 75. (b) Alb. art. 35. (c) 1613: 23. §. 4. 5. 1723: 32. (d) 2-ae: 52. (e) 1618: 25. 1647. 138: 1649: 59.

§. 391.

IV. Est *processus repetitorius litterarum*, qui praemissa iudiciali admonitione, ut litteras sub poena legali restituat, ex 1659: 43. suscitatur coram Vice-Comite aut iudice nobilium (a). Actor incattum sine iure litteras detinere, iudicialemque admonitionem rite peractam esse comprobatur; quo praestito iudex iuramentum revelatorium incatto imponit, eumque in restitutione litterarum et poena legali 500 fl. in duabus tertiis actori, in una tertia iudici cedentium, convincit. Atque hic *processus*, in quo omnia remedia iuris, appellata excepta, praescissa sunt, praemissa admonitione iudiciali, toties quoties repeti potest (b). Actori interim, litteras suas haud recipienti, taedioque processum repetitoriorum affecto, integrum est: *processum ad perpetuum evictoratum* ex 1659. 43. §. fin. coram Tabula Regia suscitare, quo mediante incattus, litteras sub poena saepe repetitas adhuc detinens, in perpetuo evictoratu convincitur, h. e. actorem ratione bonorum vel iurium impugnatum, defendere, et si hoc facere nequeat, eidem ex bonis suis tantum, quantum defendendus amiserat, resarcire tenetur, et quidem eoque, donec litteras detinuerit.

SCHOL.

(a) 1729: 35. *Plan. Tab. repet. litt. Dec. 4.* item *de iudic. quaest. Dec. 5.* (b) 1662: 35.

SCHOL. Eadem haec poena 500 fl. manet 1.) fratrem natu maiorem, si cum cognatis familiae documenta communicare detrectet, quo in casu *processus ad communicationem litterarum et poenam legalem* ex 1729: 28. §. 11., a repetitorio tantum nomine diversus, movetur. 2.) Officiales publicos, acta et litteras ad archivum suae iurisdictionis non referentes; quo in casu fiscus magistratualis ex 1729: 35. *processum* coram Sedria suscitatur. 1729: 39. 3.) Capitula et Conventus documenta ad mandatum requisitorium extradare nolentes. 1723: 45. 4.) iuramentum revelatorium, per sententiam impositum, deponere nolentes, et quidem toties quoties. 1659: 43. et plures *Dec. Cur.*

§. 392.

C.) *Violatio litterarum missilium* est delictum privatum reale, quo quis alterum, epistolam eius sine iure ad se recipiendo, detinendo, supprimendo, vel reserando laedit. (a).

§. 393.

Poena per legem 100 fl. per modum liquidi debiti desumenda constituitur, ad quam infligendam *processus ad poenam violationis litterarum missilium* ex 1723: 59. coram iudice nobilium suscitatur; et incattus praeter poenam 100 fl. si epistola negotiosa fuerat, in damni quoque causati refusione convincitur.

Co.

(a) 1723: 59.

COROL. Cum poena haec instar liquidi debiti desumatur, sumtus quoque processuales, si petantur, adiudicandi veniunt. 1659: 31.

C A P V T XL.

DE DAMNIS.

§. 394.

*D*amnum generatim est omne id, quod statum nostrum imperfectiorem reddit. Aliud est *dolosum, culposum, casuale*; aliud *immediatum vel mediatum*; aliud *proprie vel improprie tale*, seu *lucrum cessans* appellatum etc. Vi iuris nostri generatim auctor damni idem reparare, seu satisfactionem praestare tenetur (a); regulae vero de satisfactione pro specialibus casibus ex rationibus naturalibus ac legum (b) combinatione sponte sua fluunt.

§. 395.

Ad damnorum compensationem, seu ad satisfactionem duplici modo agitur: a) *accessorie*, dum lite aliud praecipuum obiectum habente, simul adnexive damnorum quoque refusio petitur, ut in violentia, depositi deten-

(a) 1659: 31. (b) Praesertim cit. 1659: 31. 1638: 27.

detentione etc. quo in casu damni realitas ac quantitas comprobanda est. b) *principaliter per processum damni*, seu *ad reparationem damni*, qui fundamento *Vlad. D. 1. 16. 2. ae: 39. 3. ae: 33. §. 3. 1638: 27. 1659: 31. 1723: 12. §. 4.* contra auctorem damni vel successores eius coram iudice liquidorum debitorum movetur; probatur realitas damni incatto applicanda, et quantitas, quae, si doceri nequeat, per iudicem conscientiose aestimatur.

§. 396.

Quaequam damnorum species in legibus nostris peculiariter recensentur, ut sequuntur:

A.) *Noxiae molae et aggeres* saepe damna vel publico vel privatis generant: de *publico noxiis* molis et aggeribus lege (a) cautum est, ut iurisdictio publica eiusmodi noxias structuras observans investiget, num damnum manente structura tolli possit vel secus; si primum, planum hoc scopo elaboretur; sin alterum, sublatio talismodi structurae decernatur; atque haec domino structurae, quo eandem vel emendet vel tollat, cum admonitione insinuantur; qui satisfacere intermittens actione fiscali ad Sedriam citatur, lata-

(a) 1751: 14.

lataque sententia, ad sumtus domini structura similis vel emendatur vel destruitur.

§. 397.

Ad privato noxias molas vel aggeres emendandos aut sufferendos plures Decisiones Curiales actionem dant; quae, praemissa admonitione iudiciaria, tum in legibus generatim damni reparationem imponentibus, sensu item 1751: 14. ac 1-ae: 87. tum in decisionibus curialibus fundatur; iudex est Vicecomes (a), ad Sedriam pertractione damnorum publico illatorum spectante; qui, probata damni realitate, adhibitis hydraulicis discutit: an quaestionata structura emendari possit, vel simpliciter sufferri debeat; taliterque sententiam fert, cuius deinde executio decernitur, peragiturque.

§. 398.

B.) *Damna per decorticationem, succisionem, aut defrondationem arborum* illata vi legis (b) hac ratione vindicantur: colonus aut alter ignobilis in silva aliena damnum inferens omnibus rebus, quas secum habet, in continua persecutione etiam extra silvam spoliatur; persona tamen eius detineri nequit; res ita ademptae iudici, Vice-Comiti

(a) 1729: 35. (b) 3-ae: 33. §. 5.

ti (a), resignantur investigaturo, an legitima fuerit spoliatio. Subsequitur dein contra colonum processus impensionalis, in qua poena homagialis et amissio rerum ablatarum petitur. Nobilis rebus suis spoliari nequit, verum processu ad poenam violentiae cum accessoriis convenitur.

SCHOL. Illicita gallarum, glandium, castaneorum et aliorum fructuum silvestrium collectio, licet lex huius specificè non meminerit, huc referenda est.

§. 399.

C.) *Damnificatio per pecora*, hoc loco est, dum depastione pecorum alienorum in fundo nostro rerum aliquarum destructio vel iuris laesio fit (b). Damnum proin per pecora illatum vel est *physicum* vel *morale*; fundi vero hac in materia triplicis generis distingvendi sunt: 1.) *specialiter prohibiti*, ut certa est in pagis pascuorum pars, pro tempore ruralium laborum reservata (c). 2.) *ob damnum physicum natura sua prohibiti*, ut agri, vineae. 3.) *ob ius domini privativum suapte prohibiti*, in quibus, etsi pecora impulsa nullum damnum dederint, laesio tamen moralis fit.

§. 400.

(a) 1715: 94. (b) 3-ae: 33. Vlad. D. 7. 61. 1608: 2. §. 9. p. Cor. 1647, 43. 1655: 57. 1659: 98. 1729: 42. (c) 3-ae: 33.

§. 400.

Modus talia damna vindicandi est *impulsio*; dum dominus fundi pecora in fundo deprehensa impelli, ac claudi curat; atque talis impulsio pro diversitate fundorum, unde fit, in diversas species abit; sic impulsio ex fundo specialiter prohibito *impulsio simplex*, ex fundo natura sua ob damnum physicum prohibito *invagiatio*, ex fundo damni moralis, seu fundo controverso *abactio* dicitur; atque his impulsio-*rum* speciebus nonnulla communia sunt, quaedam singulis propria.

§. 401.

Communia omnibus, dominus fundi pecora damnum inferentia via facti impellere, et impulsam triduo, quo dominus pecorum de compensatione damni tractare, pecoraque redimere possit, impune detinere potest (a). Elapso triduo, pecorum domino vel non comparente, vel iustam damni aestimationem praestare recusante, pecora ad manus iudiciarias resignari debent; secus a quarta die inchoando impellens pro quavis die poenam triam marc. gr. pond. seu 12 fl. luit; quae poena 15. diebus suapte currit, ultra tamen non continuatur secus, quam si dominus pecorum

(a) 3-ae: 33. 1729. 42.

corum impellentem iudicialiter admoneri curaverit, ut pecora resignet, qua admonitione peracta, poena 12 fl. pro quavis die semper ac indesinenter currit. Resignantur vero pecora Vice-Comiti, vel iudici nobilium; in Civitatibus iudici, et quidem vel *realiter*, pecora illuc pellendo, vel *litteratorie*, dum impellens iudici insinuat, se tot pecora impulsisse, quae medio litterarum resignat, ac desuper testimoniales expetit. Resignatio plena sit, oportet, secus vel uno pecore non resignato, tantumdem est, ac si nullum resignatum fuisset.

SCHOL. 1. Domino pecorum debito tempore adveniendi, satisfactionemque proportionatam offerenti, impellens pecora reddere tenetur; si tamen eadem iam resignasset, iudici insinuandum habet, cuius mandato circa restituenda pecora sub poena non resignationis obtemperare debet. 1729: 42. §. 4. 5. Impellens penes reliqua damna sumtus in pabulum ac custodiam impensos iuste repetit; insuper merces impellentis (*hajtó-pénz*), per Comitatum defigi solita, desumitur.

SCHOL. 2. Communitas nomine colectivo, aut nobiles idem ius foventes, impulsio-*rum* facientes, poenam non resignationis tanquam una persona moralis incurrunt; coloni vero hanc poenam respectu dominorum terrestrium luunt, ut adeo tot poenae, quot diversorum dominorum terrestrium coloni concurrerunt, desumantur. Atque huius poenalitatis, quam quilibet ea ratione, qua ipse praetendere potest, luit, et in qua numerus pecorum non consideratur, duae tertiae iudici, una tertiae actori cedunt.

§. 402.

§. 402.

Singulis propria; et quidem

a) *Impulsiōni simplici*: coloni eiusdem possessionis, cum statuta communi consensu condita singulos obligent, taxam prohibitionalem solvere tenentur (a). Nobilis autem ibidem degens, nisi consensisset; extraneus item ad taxam pendendam stringi nequeunt; verum mercedem impellentis ac damni aestimationem persolvunt.

§. 403.

b) *Invagationi*, impellens damnum per iuratos loci illico aestimari curet, ut adveniente pecorum domino, quid praetendendum sit, sciat; cui, si exaggerata haec damni aestimatio videretur, praesente iudice nobilium et iuratore nova fieri potest. Tenetur vero pecorum dominus iuxta aestimationem vel statim in natura satisfacere, vel pignus, quod hac occasione *cautio realis* dicitur, dare, quod, nisi intra quindenam redimatur, ex integro impellenti cedit.

Schol. Atque haec, si ob negligentiam custodum pecora damnum dederunt; si enim studio impulsae esse dignoscatur, domino fundi processus violentialis vel impensionalis competit. 1729: 42. §. 7. 8.

§. 404.

(a) 3-ae: 33. §. 4.

§. 404.

c) *Abactioni*, quod in hac, cum praecipue damnum morale consideretur, aestimatio damni necessaria haud sit; proinde nec cautio realis acceptatur, verum dominus pecorum *cautionem scriptam* dare obligatur, quae sequentia contineat: quod suo tempore, si fundi dominus processum suscitaverit, ipse iuri stare, pecora in natura vel pecunia statuere, et pro eo, quod pecora ad fundum talem immiserit, satisfacere vel poenae semet subiicere velit. Et absque tali cautione scripta nec impellens pecora restituere tenetur, nec iudex, cui resignata sunt, dimittere potest, adeo, ut etiamsi cautio talis iudici porrigatur, impellens tamen prius pecora dimittere non obligatur, quam cautio illi submitatur, quo videre possit, an securus i suae consultum sit (a). Restitutis vero ad sufficientem cautionem pecoribus, fundi dominus insuper ad poenas violentiales agere potest; imo si probare possit, se inhibitionem iudiciariam, ne pecora ad fundum talem immittantur, interposuisse, ab immittendo tamen destitutum non esse, ad amissionem abactorum pecorum procedere potest (b).

§. 405.

(a) Decis. Cur. (b) 1729: 42. §. 8. 9. 10.

§. 405.

Processus hinc oriuntur: 1.) *Marcalis*, quem pecorum dominus ex 3-ae: 33. et 1729: 42. contra impellentem movet, si hic elapso triduo nullam aut non plenam resignationem fecisset; item si ad mandatum iudicis, accepta etiam idonea cautione, pecora non restituisset. Index vi legis (a) ac usus est Vice-Comes. 2.) *Violentialis*, quem ex 1729: 42. fundi dominus suscitatur, si possessorium publicum, pacificum ac privativum ostendere possit; item si damni faciendi causa studio pecora immissa fuissent; perinde hic processus pecorum domino competit, si publicum manifestumque unius anni usum docere possit in fundo, ex quo abactio facta est. 3.) *Ad amissionem pecorum abactorum*, quem impellens suscitatur, si admonitio et prohibitio contra invasionem fundi sui praecessit.

C A P V T XLI.

DE DEHONESTATIONE.

§. 406.

Dehonestatio est delictum privatum verbale, quo quis alterum in honore et existima-

(a) 1729: 35.

matione laedit. Alia est *simplex*, quae absque peculiaribus temporum, locorumve circumstantiis committitur; alia *qualificata*, ob adiuncta peculiarem imputationem habens, in duobus potissimum casibus committitur: dum quis hominem nobilem, ignobilem compellat, vel directe eum rusticum declarando, vel indirecte, eum iuri statui petendo (a); item si quis alterum in diaeta, seu in ipso consessu diaetali, seu extra eum dehonestet (b).

§. 407.

Poenae dehonestationis qualificatae sunt 200 fl. (c); simplicis 100 fl. (d).

Schol. Tot distinctae poenae locum habent, quot distinctis vicibus dehonestatio facta est. Ad tollendam poenam in foro externo deprecatio non sufficit; si tamen dehonestatus vicem reddat, neutri actio competit. *Plan. Tab. ad poen. viol. Dec. 12.*

§. 408.

Processus dehonestationis, seu ad poenam dehonestationis, seu ad poenam emendae linguae nuncupatus, movetur contra diffamatorem ordinarie coram Vice-Comite, licet et coram iudice nobilium decurrere possit (e).
Pro-

(a) 2-ae: 36. (b) 1723: 7. §. 8. 9. (c) 2-ae: 36. (d) 2-ae: 74. 1723: 57. (e) 1729: 35. et Dec. Cur.

Probata delicti realitate poena dicitur, cuius in simplici dehonestatione duae tertiae iudici, una actori cedit (a); in qualificata 200 fl. ex integro actori cedunt. Expensae hoc in processu non refunduntur (b).

Schol. Saepissime haec poena *accessorie* petitur, et adiudicatur.

§. 409.

Pasquilli sunt scripta dehonestationem aliorum continentia, et inter plures sparsa. Poena est eadem, quae dehonestationis, prout *pasquilli* ex adiunctis temporum, locorumve vel ad simplicem, vel qualificatam referri possunt.

LIBER

(a) 2-ae: 72. (b) 1723: 57.

LIBER III.
DE ACTIONIBVS.

§. 410.

Actio hoc loco est medium legitimum ius suum coram iudicio prosequendi. Omnia iustitiam procurandi media tribus huius libri sectionibus complectemur.

SECTIO PRIMA.

DE IURISDICTIONE ET PERSONIS IUDICIARIIS.

CAPVT I.

DE IURISDICTIONE ET FORO COMPETENTE.

§. 411.

A.) *Iurisdictio* generatim est potestas publica civium felicitatem per media idonea procurandi; est vel *politica*, vel *civilis*, vel *iudicialis*; haec vel est *voluntaria*, quae extra *litem*, vel *contentiosa*, quae subversante lite exer-

S

exercetur; voluntaria vel *ex nobili officio*, vi nempe muneris nemine interpellante, vel *ad interpellationem* in effectum deducitur.

SCHOL. Obiectum hoc loco est iurisdictio contentiosa.

voluntaria non est territorialis alia est.

§. 412.

Iurisdictio contentiosa est potestas publica causas controversas legitime cognoscendi, decidendi, remque iudicatam exequendi. Alia est *summa*, seu *eminens*, penes regem existens; alia *subordinata*, seu *vulgaris*; alia *sacra* vel *profana*, alia *ordinaria* vi officii competens, vel *extraordinaria*, peculiariter alicui delata; alia *civilis* vel *criminalis*; alia *primae instantiae* vel *superrevisoria* vel *mixta*, alia *solitaria* vel *concurrentes*.

illa e cujus contentiosa non pot per alium cognoscitur hoc per se placet pt

§. 413.

B.) *Forum competens* est legitima iurisdictio ratione cuiuspiam singularis et in specifico consideratae controversiae. Ad forum competens, seu competentiam iudicatus determinandam ad sequentia advertendum est: si *iurisdictio ordinaria* est, considerandum est: 1.) *quoad iudicem* qualitas iurisditionis, quantitasque; species processus, et in realibus territorium; 2.) *quoad incattum* in personilibus conditio, seu qualitas status; et domicilium, seu solita residentia; in realibus qualitas, quantitas ac situs rei. Si *iurisdictio* est

ex.

extraordinaria, attendendum venit *ad modum delatae iurisdictionis*: ut est *lex specialis*, *delegatio* per Regem vel PALATINUM, et *Compromissum* (a).

§. 414

Tribunalia iudiciaria regni alia sunt *communia*, alia *specialia*. Ad communia referuntur:

1.) *Excelsa Tabula Septemviralis*, in qua PALATINUS, vel iudex Curiae Regiae praesidium tenet (b.); consistet excepto termino postpaschali (c) semper, ab illiusque iudicio, ad cuius integritatem undecim membra requiruntur (d) in civilibus nulla, in criminalibus pro obtinenda gratia appellata datur.

§. 415.

2.) *Inclita Tabula Regia iudiciaria*, quae praesidente Personali Praesentiae Regiae in iudiciis Locumtenente, causas partim primae instantiae, partim appellatas iudicat. Ad iudicii integritatem novem membra necessaria sunt (e).

SCHOL. Tabula Septemviralis et Regia simul efficiunt *Excelsam Curiam Regiam*, ideoque commune archivum et officiales subalternos habent.

S 2

§. 416.

(a) 1729: 30. (b) 1723: 24. (c) 1791: 16.
(d) Math. D. 6. 6: 68. Vlad. D. 1. 42.
1723: 24. 1741: 24. (e) 1723: 25.

§. 416.

3.) *Inclita Tabula Banalis* pro regnis Croatiae et Slavoniae; praesidet Banus vel Vice-Banus. Appellatio prius ad Tabulam Regiam, nunc vero directe ad Tabulam Septemviralem fit (a).

§. 417.

4.) *Quatvor Tabulae Districtuales* in Hungaria, et *una Tabula Iudiciaria* in Croatia, quae iudiciis protonotarialibus substitutae sunt (b).

§. 418.

5.) *Magistratus Comitatus*, in quo tres iurisdictiones distinguendae: *Sedes iudiciaria*, seu sic dicta *Sedria*, quae praesidente alterutro Vice-Comite criminalis vel civilis est (c); *forum Vice-Comitis*, quod ex Vice-Comite qua praeside, adiuncto item iudice nobilium ac Iurassore (d), et *forum iudicis nobilium*, quod ex iudice nobilium, velut praeside et adiuncto iurassore, coalescit.

§. 419.

(a) 1723: 27. 1729: 31. 1807: 9. (b) 1715: 28.
1723: 30. (c) 1613: 23. §. 17. 1723: 28.
(d) 1715: 28. §. 1. 1729: 35.

§. 419.

6.) *Magistratus L. R. Civitatum*, in quo iurisdicatio iuridica a politica secernenda est: iudicat omnes causas tam reales, quam personales civium suorum.

§. 420.

7.) *Sedes dominalis*, praesidet dominus terrestris, vel alter ab eo constitutus; assident convocati iurisperiti et officiales dominales, Fiscale dominali notarium sedis agente; adest quoque iudex nobilium cum iurassore, qua testimonium legale. Appellatione ad Sedriam Comitatus (a) competente iudicat omnes causas civiles subditorum.

§. 421.

Specialia sunt: Sedes Tavernicalis, Personalitia (b), iudicium militare, montanisticum, Camerale unice ratione contrabandarum, palatinale quoad Iazygiam et Cumaniam, praediale Praelatorum, Academicum, ac iurisdicatio ecclesiastica, quae negotia spiritualia, causas item sponsalisticas et matrimoniales ac testamentales quoad externas solemnitates, causas quoque periurii iudicat.

CA.

(a) 1. ae: 25. 26. (b) De quibus in Libr. I. actum.

CAPVT II.
DE IVDICE.

§. 422.

Personae ad iudicium spectantes aliae *essentiales*: ut iudex, actor, incattus (a); aliae *accessoriae*: ut ingerens, evictor; aliae demum *subsidiariae* sunt: ut plenipotentarius, procurator.

§. 423.

Iudex est persona iudicialis essentialis iurisdictioni contentiosae secundum leges patrias exercendae praeposita.

§. 424.

Iudex quoad intellectum sit perspicax, attentus, et scientia iurisprudentiae tam theoreticae, quam practicae pollens; *ignorantia enim iudicis, est calamitas litigantis* (b); *quoad voluntatem* conscientiosus, indifferens, moderatus, strenuus iustitiae assecla, ac iuramento decretali obstrictus sit, oportet (c).

§. 425.

(a) 1-ae: 85. (b) *Prol. tit. 7. et 1723: 30. §. 3.*
(c) *Prol. tit. 14. 15. Sig. D. 6: 1. Math. D. 6. 68. 73. Vlad. D. 1. 33. 42. D. 3. 4. 7. 1723: 24. 30.*

§. 425.

Iudices alii sunt regni ordinarii: ut PALATINUS, Iudex Curiae Regiae, et Personalis Praesentiae Regiae in iudiciis Locumtenens (a); alii *superiores*: ut Tabula Septemviri, Regia, Banalis; alii *inferiores*, seu *pedanei*: ut Tabulae Districtuales, Vice-Comes etc.

CAPVT III.

DE ACTORE.

§. 426.

Actor est persona iudicialis essentialis petitionem suam adversus alterum iudici proponens.

§. 427.

Habilitas in iudicio standi, seu Actortus est duplex: *personalis* in eo consistit, ut actor nullo defectu, nec naturali, nec morali, nec lege in iudicio stare prohibeatur; velut lege prohibentur personae illegitimae aetatis (b), ignobiles contra nobiles in persona.

(a) 2-ae: 13. *Math. D. 6: 68. Vlad. D. 1: 46.*
(b) 1-ae: 111. 1715: 66.

sonalibus, vel ratione proprietatis bonorum immobilium (a), infames ratione vindicandi honoris (b), filius in patria potestate existens intuitu bonorum paternorum et maternorum, item religiosi relate ad bona temporalia vi voti paupertatis; *realis* in iure acquirendi id, quod in praetensionem sumitur, positus est: sic filius Curiam a patre venditam, vivente Patre, ex defectu actoratus *realis* revindicare nequit.

CAPVT IV.

DE INCATTO.

§. 428.

Incattus, seu in causam attractus est persona iudicialis essentialis, quam actor per iudicem ad quidpiam praestandum compelli petit.

§. 429.

Nonnulli incatti esse nequeunt ideo, quia per legem ab obligatione in lite standi immunes pronunciantur, ut sunt: Rex, qui sua in persona lite nunquam conveniri potest;

(a) 3-ae: 31. (b) 2-ae: 30.

test; in civilibus Fiscus regius loco Eius evocatur (a); mortui, tales citare sub poena homagiali, agente successore defuncti, vetitum est (b); nobiles in forma iuristatutionis; porro illegitimae aetatis sub poena homagiali tutoris actione desumenda.

CAPVT V.

DE INGERENTE.

§. 430.

Ingerens est persona iudicialis accessoria, quae in alterius litem pendentem semet immitit.

SCHOL. *Lis pendet a locuta* usque finalem sententiam, post qualem ingessione amplius locus non est. *Dec. Cur.*

§. 431.

Geminum est ingessionis fundamentum; *nexus sanguinis*, et *iurium*, vel *ius regium*; unde ipsa quoque *ingessio* in talem ex communione iuris, et ingessionem ex iure regio abit.

§. 432.

(a) 2-ae: 39. (b) 2-ae: 21.

§. 432.

Ad ingessionem ex communiione iuris nexus sanguinis et iurium cum actore probandus est, et his edoctis sumtus principales hucusque factos evictor pro rata sua refundere debet.

SCHOL. Talem ingessionem intra quartum gradum pertinaciter negare, proditionem fraterni sanguinis importat. 1-ae: 39. 2-ae: 84.

§. 433.

Ingessio ex iure regio est, dum fiscus, vel eius iure alter se in processum tertii ingerit, bonumque sibi, excluso tam actore, quam incatto, competere asserit; atque cum tali ingerente, cum ex aequo utrumque impetat, nec actor, nec incattus litteras communicare tenetur; verum eidem ius regium distinctum docendi obligatio incumbit.

CAPVT VI.

DE EVICTORE.

§. 434.

Euictor est persona iudicialis accessoria, obligationem habens alterum ex infirmitate iuris in se translati periclitantem contra impe-

petitores in possessorio] defendendi, vel indemnem praestandi.

§. 435.

Tria sunt evictionis fundamenta: contractus, lex, ut detentoribus alienorum documentorum evictio iniungitur (a), uxori in bonis titulo parapherni possessis evictio praestanda est (b) etc.; ipsa rei natura: sic contractus bilaterales ex natura sua evictionem involvunt, fratrem in portione condivisionali fratres, triumphantem succumbens in bonis executionalibus ex indole, ac natura rei evincere tenetur etc.

§. 436.

Evictor in merito causae, actione iudiciali porrecta, citandus est (c), qui, si incattus defendere nequeat, indemnem praestare debet vel in bonis similibus, vel talibus deficientibus, in aequivalenti (d).

SCHOL. 1. Evictor, si eius provocatio in processu fundamentali neglecta fuit, via novi citari potest. 1655: 53. 1659: 35. et Dec. Cur.

SCHOL. 2. Venditor eo praetextu, quod emptorem in bono translato evincere nequeat, bonum ab eo recipere nequit; leges enim, ut 1-ae: 77. evictionem contra tertium tantum valere volunt, non

(a) 1659: 43. (b) 1-ae: 103. 110. (c) Decis. Cur. Compl. (d) 1-ae: 74.

*Evictor triumphat in tenetur incatto
expensas refundere quia in causa si
vero succumbat tenetur*

non vero, ut hoc praetextu bona recuperentur; sed nec homini perfectae aetatis actio contra factum proprium competit. Porro venditor, si ex bono translato emtori occasione metalis controversiae quidpiam decerpatur, eum, si in fassione metae specificae expressae sint, evincere obligatur, non item, si metae nonnisi generatim expositae habeantur. 1-ae : 76. et *Plan. Tab. de evict. et Evictione.*

Personae Subsidiariae
CAPUT VII.

DE PLENIPOTENTIARIO.

§. 437.

Plenipotentiarius est persona subsidiaria, quae aliena negotia, legitimo Principali mandato sibi commissa, plena auctoritate, qua ipse negotiorum dominus pollet, administranda suscipit.

COROL. Plenipotentiarius fassiones perennes, alienationes, cambia intuitu bonorum valide facit; plenipotentiarius iudicialis processus tam activos, quam passivos movere, promovere, procuratorem constituere, aut revocare, transigere, aut amice componere potest; 1729 : 24. §. 4-6. ac art. 39. §. 7. plenipotentiarius extrajudicialis officiales minores constituere, ab officio dimovere, ac rationes exigere potest; ipse tamen plenipotentiarius, nisi se ad perceptiones et erogationes immittat, reddendis rationibus obnoxius haud est; et tunc etiam coram suo iudice competenti. *Plan. Tab. de Plenip. Dec. 4.*

§. 438.

§. 438.

Plenipotentiarum constitutio, seu *mandatum vel mandatarius* fit 1.) *Verbaliter* coram iudice causae, vel *litteratorie* coram persona, vel loco authentico expeditis desuper testimonialibus (a). 2.) *Intra regnum* coram iis, qui fassiones perennes excipiunt (b), item coram Congregatione Comitatus generali aut particulari (c); vel *extra regnum* (d), quo in casu, non reperto ibi regni nostri iudice ordinario, aut eius protonotario, constitutionem sub proprio sigillo factam in haereditariis provinciis immediato suo Tribunali praesentat, testimonialesque super constitutione expetit, in non haereditariis similes testimoniales a legato Regis Nostri sub sigillo legationis acceptas in Hungariam transmittit. 3.) *generaliter ad omnia negotia*, vel *specialiter ad unum*. 4.) *Usque revocationem*, vel *usque reditum*, vel *absque limitatione*, quo in casu usque revocationem, quae tacite semper intelligitur, durat (e).

§. 439.

Requisita constitutionis plenipotentiarum sunt: ut per ipsum principalem directe praesententur.

(a) 1729 : 24. (b) 2-ae : 15. §. 8. 1723 : 41. 1729 : 24. (c) 1723 : 35. 1765 : 28. 1791 : 16. (d) *Cit.* 1729 : 24. §. 12. (e) 1723 : 35. §. 2. 3.

sentem coram competente iurisdictione fiat; nomen, cognomen, character tam constituentis, quam constituti; item an generalis vel specialis; iudicialis vel extraiudicialis sit plenipotentia, exprimat; clausula denique: *ratum, gratum, firmum habiturus, quidquid per eum acta, dicta, facta, transacta fuerint intra limites plenipotentiae*, semper inserenda est.

§. 440.

Constitutio plenipotentiarum cessat morte plenipotentiarum, vel plenipotentiantis, specialis finito negotio; constitutio usque reditum, cessat cum reditu legaliter insinuato; demum per revocationem, cui lex (a) eandem prorsus normam, quam ipsi constitutioni praefigit.

CAPUT VIII.

DE ADVOCATO.

§. 441.

Advocatus, seu Procurator est persona iudicialis subsidiaria, quae post acceptum agendi stallum, negotia iudicialia sibi commissa, administrat (b).

SCHOL.

(a) 1729: 24. (b) 1723: 30. 36. 38.

SCHOL. Advocati pro opera sua aliis locata condignam mercedem praetendere possunt, quae per procedens iudicium ad petendum Advocati etiam iudicialiter defigitur. 1723: 35. 38. Vetatur autem peculiariter, ne Advocatus titulo mercedis de *quota litis* conveniat, 1723: 30. §. 5. prout *palmarium* quoque, i. e. promissio de magna improporcionata remuneratione prohibetur, ne advocati ob spem lucri ad technas confugiant.

§. 442.

Constitutio procuratoris fit *verbaliter* coram iudice causae, in *praxi cum nostris* compellata, vel *litteratorie* coram loco aut persona authentica; porro *generaliter* vel *specialiter* ad determinatam causam (a); fit quoque constitutio procuratoris usque reditum (b).

SCHOL. Praeter Capitula et Conventus etiam Archi-Episcopi, et Episcopi-Diocesani sub proprio sigillo procuratores constituere possunt, 1723: 41. 2-ae: 15. §. 6. quod ipsum Barones regni ex usu faciunt. Plenipotentiarum vero sub proprio sigillo unice tantum Capitula authentica et Conventus publici ratione communium negotiorum constituere, at non revocare queunt. 1723: 41.

§. 443.

Requisita constitutionis procuratoriae sunt: ut coram competente iurisdictione per Principalem vel legitimum eius Plenipotentia-

(a) 1723: 35. 37. (b) *Vlad. D. 5. 14.* 1723: 35.

tiarium, in persona comparentem fiat: an generalis vel particularis sit, exprimat; nomen tamen constituendi specificè expressum non requiritur; nam additur clausula: *et alios iuramento decretali obstrictos praesentium exhibitores.*

§. 444.

Officia a) Advocati generatim sunt: causa suscepta ex narratione Principalis speciem facti accuratam scripto conficere, eorumque, quae probanda sunt, probam exigere; elenchum litterarum per Principalem sibi resignatarum duplici in exemplari cum subscriptione sui ac Principalis parare, de mandatariatu sollicitari, ad praefixos terminos attendere, probas omnes adferre, easque solide proponere, ac causam, antequam cuncta induxerit, non submittere; si nonnullae probae adhuc desiderantur, a iudice dilationem, sic dictum respirium, expetere; errore commisso de remedio illum corrigendi efficaciter cogitare; accepta sententia favorabilis executionem urgere; perlata vero sententia onerosa, ad remedia iuridica recurrere; denique in pertractanda causa ab omnibus asperitatibus (*personalitatibus*) abstinere.

SCHOL. Advocato olim iuxta MATH. D. 6: 69. non nisi quatuordecim causas promovendas suscipere licuit; hodie tot, quot terminare valet, assumere potest.

§. 445.

§. 445.

b) *Advocati actori*: nomen, cognomen, habitationem, conditionem incatti, ne in citatione erret, explorare; praemitenda praemittere; perpendere coram quo foro et quali processus specie lis suscitanda sit; actionem, citationem, levatam absque defectu elaborare; incatto ad praefixum terminum non comparente, convictionem ex contumacia urgere, comparentem vero ab exceptionibus remove, et ad meritum deducere; incattum vero moras neccentem, saepiusque iudicialiter monitum, ex non defendit convinci petere; incatto denique affirmative respondente, relicta ulteriori proba convictionem urgere, casum vero in contrarium singula actionis suae adiuncta solidis rationibus probare, et cunctas per partem adversam oppositas difficultates diluere.

§. 446.

c) *Advocati incattei*: actionem, citationem, levatam et alios actus discutere, et depreheuso defectu, medio exceptionis condescensionem urgere; actore pro termino non comparente, ex paribus levare, et se absolvi, actorem vero in expensis et iudicio regali convinci curare; si fundamentum evictionis adsit, ad evictorem, ut onus litis dividatur, provocare; ad meritum, priusquam

T

omnes

omnes exceptiones obmovit, se non immittere, in ipso autem merito negativam tenere, actoris probas enervare, et contrarias adducere, verbo: cuncta media licita pro conditione incatti melioranda adhibere.

SECTIO SECUNDA.
DE ACTIBVS IUDICIALIBVS.

CAPVT IX.

**DE ADMONITIONE, COMPROMISSO,
ET PROCESSV IN GENERE.**

§. 447.

A.) *Admonitio* est actus, quo quispiam nomine alterius ad aliquid praestandum serio adurgetur. Alia est *amica* vel *iudicialis*, medio personae iudicialis peracta, alia *verbalis* vel *scripta*, alia *personalis*, dum in persona quispiam admonetur, vel *de domo habitationis*, dum admonitio scripto comprehensa in admonendi domo deponitur, vel *de bonis*, dum admonendi colono iurisdictionato exhibetur.

SCHOL. In omni admonitione necessario expressa esse debent: nomen et conditio tam admoneri curan-

curantis, quam admonendi, factum praetensioni occasionem dans, hincque enatum ius; declaratio, quodsi admonitioni satisfactum non fuerit, processu agetur; item ut intra quindenam respondeat, demum petitio testimonialium super peracta admonitione.

§. 448.

Litterae testimoniales super admonitione iudiciali post consuetum praeambulium, qualitatem admonitionis, tenoremque, ac responsum admoniti continere debent.

§. 449.

B.) *Compromissum* est conventio scripta, qua partes subversantis controversiae cognitionem, decisionemque uni vel pluribus personis ea lege deferunt, ut earum arbitrio stent (a).
*Indur per co
449 de Dular
ab hoc quo
libi plures
compromissa
in solidu
punctum
casu nullo
abesse m
pofund*

SCHOL. A Compromisso, nisi appellandi facultatem partes expresse sibi reservent, adpellatio non admittitur. 1729: 30.

§. 450.

Compromissum evanescit per mortem vel unius Compromittentis, vel arbitri; si tempus, ad quod *Compromissum* factum est, effluxit; terminato plenarie negotio, aut ini-

T 2

mi.

(a) 1729: 30.

micitia inter arbitros inter se, vél cum compromittentium aliquo enata.

§. 451.

C.) *Processus* est legitima coordinatio actuum iudicialium, quibus per partes de negotio litigioso disceptatur, per iudicem cognoscitur, deciditur, ac decisio executioni mancipatur (a). Alter est *fundamentalis* vel *secundarius* ob incidens quodpiam motus; alter *primae instantiae* vel *appellatus*; alter *solemnis* vel *summarius*; denique ratione iurisdictionis et obiecti processus varias sortiuntur nomenclationes.

C A P V T X.

DE ACTIONE ET CITATIONE.

§. 452.

A.) *Actio*, seu *libellus actionalis* est scriptura iudicialis per actorem iudici exhibita, ut incattum ad legalem satisfactionem compellat. Actionis requisita hoc versiculo: *quis, quid, coram quo, quo iure petatur, et a quo* comprehenduntur (b).

SCHOL.

(a) *Vlad. D. 1. 10.* (b) 1723:30.

SCHOL. Actio in processu est instrumentum fundamentale, et regulat tam partes, quam iudicem.

§. 453.

Actio instar syllogismi concipienda est, in cuius maiori *enarratio facti*, seu cunctarum ad cognitionem causae facientium circumstantiarum brevis, et bene ordinata recensio fit; in minori fit *applicatio ad leges*, adducuntur nempe leges, praecipue negotium actionale ferientes, addito: *et aliae suo loco, si necessum fuerit, citandae*; *conclusio* praemisso eo, ut iudex incattum citet, continet petitionem actoris, ut sibi ius, legibusque conforme iudicium administretur.

SCHOL. Omnis actio in regula unam tantum petitionem continere potest; secus, nisi petitiones eiusdem prorsus essent indolis, instituti ac iudicatus, evadit *cumulata* et vitiosa.

§. 454.

Stilus actionum pro diversitate iudiciorum diversus est: sic in Tabula Regia, Districtualibus, et compluribus Comitatibus per modum libelli supplicis porrigitur; in quibusdam iterum Comitatibus actio nomine iudicis concipitur, illo nempe referente sibi hanc praetensionem propositam esse.

SCHOL. Dum multi incatti citandi sunt, actio in Tabula Regia per Mandatum Regium evocatorium
ex-

exhibetur, quod et actionem, et citationem completitur.

§. 455.

B.) *Citatio* est actus iurisdictionis, quo erga praesentationem actionis incatus intuitu praetensionis actionalis ad certum terminum in iudicium vocatur.

SCHOL. Per *terminum* intelligitur locus, et tempus: a) *quoad locum* observandum, eum in territorio iudicis citantis esse debere, nomen eius specificè exprimendum venire, tandem ut tam physice, quam moraliter absque vitae periculo accedi possit. 2-ae: 59. 1723: 32. — b) *quoad tempus* 1) annus, dies, mensis accurate exprimendus. 2) praefixus dies, iuris dies sit oportet. 1723: 26. §. 2. et art. 29. 3) inter exhibitionem citationis, et terminum praefixum legales quindenae expleantur, ut sunt in eodem Comitatu una, in secundo duae, et sic porro usque quatuor, plures non conceduntur; atque si ex legibus quindenae vel una dies desit, citatio condescendit. MATR. D. 1. 1. §. 8. 1613: 23. §. 5. 1681: 32. 1723: 26. 32. 4.) in *Diaeta* terminus trium dierum datur. 1723: 7. §. 9. 5.) praeter diem praefixum additur: *et subsequentes sufficientes iuris dies.*

§. 456.

Citatio alia est *fundamentalis*, penes quam processus suscitatur, vel *reflexoria*, dum lite iam mota iudex quempiam ad citationem fundamentalem reflectendo citat, alia *ad personaliter comparandum*, et iuristatim, vi cuius citatus statim in persona comparere debet, vel *ad personaliter comparandum*

dum, vi cuius per Advocatum, id tamen declarantem, Principalem quoque suum, ubi necessum fuerit, adfuturum, comparere potest; vel *ad suo modo comparandum*, quo in casu Comparitio vel per se, vel per procuratorem fieri potest; alia est *immediata*, dum eiusdem iurisdictionis persona exhibet, vel *mediata*.

§. 457.

Ut *citatio legitime* peragatur, necessum est, ut exhibitio per personas iudiciarias literatorie, et quidem vel personaliter, vel de domo habitationis, vel de bonis; loco ad actus tales destinato, de die fiat (a); exhibitio demum cum communicatione libelli actionalis, et quidem a dato emanationis intra 60. dies peragatur, oportet (b).

§. 458.

Effectus citationis: omnibus ad iudicium necessariis personis obligationem loco, et tempore praefixo comparandi imponit, litis pendentiam inducit (c), inter iudices praeventioni locum facit, praescriptionem rumpit (d).

§. 459.

(a) 1807: 8. §. 4. 5. (b) 1-ae: 33. Plan. Tab. de cit. Dec. 5. (c) 1-ae: 27. (d) 1-ae: 79. 3-ae: 14.

§. 459.

Litterae testimoniales super peracta citatione nomen et characterem tam actoris, et incatti; quam iudicis citantis, terminum, modum exhibitionis cum denotatione loci, anni, diei, mensis continere debent.

C A P V T X I.

DE LEVATA, COMPARITIONE ET CONTUMACIA.

§. 460.

A.) *Levata* est actus iudicialis, quo actor litem per citationem motam coram ipso iudice, termino praefixo, ad disceptandum et prosequendum assumit. Alia est *directa*, dum eam actor comparens, alia *ex paribus*, dum eam incattus, actore haud comparente, adornat; alia porro est *formalis*, alia *reassumptio* causae.

§. 461.

In iudiciis inferioribus levata ipso die praefixi termini fieri debet (a), in Tabula vero Regia ex consuetudine triduum pro levata

(a) 1723: 32. §. 3—5.

vata deservit (a). Actore intra hoc tempus causam non levante, incattus eam ex paribus levat, semet a petitione actoris absolvi, actorem vero in expensis et iudicio regali convinci petendo.

Schol. *Iudicium regale* est poena sex marcarum, quae, si illice dependantur, ab uno, si vero in executione sumi debent, a quatuor florenis computantur. 2-ae: 86. §. 11. 12.

§. 462.

Proclamatio est incatti, contra quem levata iam facta est, per personam iudiciariam clara voce ad comparendum, extra iudicium trina vocatio.

§. 463.

B.) *Comparitio* est actus iudicialis, quo incattus citatus, et proclamatus termino praefixo se praesentem esse coram iudice declarat.

Schol. Comparitio semper citationi conformiter fieri debet, et quidem in minoribus iudiciis eadem die, in Tabula Regia intra triduum. 1723: 32. *Plan. Tab. de Levata, Comp. Cont. Dec. 1. et aliis.*

§. 464.

C.) *Contumacia* est neglectus eorum, quae quis auctoritate iudicis sibi imposita

(a) *Plan. Tab. de Levata Dec. 1. 5. 6.*

statuto tempore expedire fuit obligatus. Sententia e contumacia lata in minoribus foris executioni, statim decretae, mancipatur; in Tabula Regia et Districtualibus post sententiam 15. diebus contumax exspectatur, quibus, si non compareat, sententiae executio decernitur; sin comparens in Tabulis Districtualibus sufficientem morae reddat rationem, a sententia e contumacia lata relevatur (a); secus idem est, ac si nec comparuisset (b); in Tabula Regia discernendum, an causa longae vel brevis litis sit; in illa, modo intra quindenam compareat, etiam nulla morae ratione reddita, ad defensionem admittitur; in hac idem, quod in Tabulis Districtualibus obtinet (c).

§. 465.

Poena contumaciae in convictione trium marcarum, ad totius actoreae praetensionis consistit. Nec ullam remedium, quam via novi, suffragatur (d).

Schol. Ad citationem etiam vitiosam comparandum est, secus poena contumaciae incurritur; nemo enim in sua causa iudex esse potest, et leges patriae exigunt, ut vitium tale in processu sua forma exponatur. 2-ae: 82. §. 5. 1723: 38. 1729: 41.

CA.

(a) 2-ae: 59. 1723: 32. (b) 1729: 38. 1723: 32.
(c) 1723: 32. §. 10. 1729: 38. §. 6. 7. (d)
2-ae: 86. §. 8. 13. S. Lad. L. 1. c. 41. L.
5. c. 26: 1723: 38. §. 8.

CAPVT XII.

DE SERIALITATE ET EXTRASERIALITATE CAUSARVM.

§. 466.

Serialitas causarum est praescriptus ordo causarum tabularum revidendi ac decidendi. Ordo hic a die submissi processus pro ferenda seu finali, seu in quaestione actionis, actoratus, instituti, et iudicatus, meritum causae feriente, sententia observandus est, incidentalibus quaestionibus huc non intellectis; in causis vero appellatis series a die levatae coram Tabula Regia obtinet (a).

§. 467.

Extraserialitas est beneficium, quo causae quaequam a serie immunes redduntur; fundamentumque vel in lege, vel mandato Regis habet. Lege extraseriales sunt causae criminales (b); causae secus extra dominium appellabiles, verum beneficio Mandati intra dominium Transmissionalis ad Tabulam Regiam deductae (c); causae Fiscii Regii actvae, causae ob impeditam executionem sus-

(a) 1807: 10. (b) 1729: 43. §. 4. (c) 1807:
10. §. 1.

scitatae: ut oppositionalis, repulsionalis; causae piae; causae pauperum, et omnes eae, in quibus *grave aliquod incidens* extraserialitatem svadet: ut si lis semel atque iterum condescendit, item in personalibus, maioris nempe potentiae, larvae, proditionis fraterni sanguinis, porro ad invalidationem conditionum pignoratitiarum, ad transumptionem litterarum etc. (a).

SCHOL. Vera paupertas esse censetur, si tota substantia 200 fl. valorem non excedat; quod testimoniis respectivae iurisdictionis ad obtinendam extraserialitatem edocendum est. 1553:37. 1563:51. 1729:21. §. 3. et art. 43. 1723:30. *Plan. Tab. de extras. Dec. 1. 2. 7. 10. 11. 21.*

C A P V T XIII.

D E E X C E P T I O N I B V S.

§. 468.

Exceptio generatim est allegatio rationum, quibus pars una litigantium alterius fundamenta impugnat. Exceptiones aliae sunt *dilatatoriae*, seu *condescensoriae*, seu stricte *exceptiones* dictae, quibus incattus formalitatem processus impugnat, vel *meritoriae*; aliae *internae* ex visceribus causae petitae, vel

(a) *Plan. Tab. de extras. Dec. 5—22.*

vel *externae*, quae *peremptoriae* nuncupantur: ut est praescriptio et calumnia; *internae* sunt vel *facti*, dum factum, vel *iuris*, dum ius ex facto deductum negatur.

§. 469.

Exceptiones condescensoriae sunt quinque: *exceptio iudicatus*, seu allegatio rationum, quibus incattus ostendere nititur, iudicem, coram quo lis promovetur, non esse competentem ratione illius processus; haec exceptio est vel *personalis*, dum index vel ex vitio morali, e. g. corruptione, vel ex vitio illi haud imputabili e. g. cognatione, quoad personam inhabilis esse asseritur; vel *realis*, dum quoad rem improcessuatam iurisdictione carere ostenditur. *Exceptio instituti*, dum contra institutum, id est, determinatam processus speciem indoli praetensionis litigiosae adcomodatam, difficultas ponitur. *Exceptio actionis*, mediante qua vitium in actione observatum obvertitur. *Exceptio citationis*, si in citatione, ad eius legitimitatem pertinens, desideretur. *Exceptio actoratus*, quae vel *personalis*, vel *realis* est (a); haec exceptio, si defectus, qui obmovetur, perpetuus est, *peremptoria* quoque est.

Exceptiones tantum tres Edm. Harder

SCHOL.

(a) *Vid. §. 427.*

SCHOL. De exceptionibus notandum: 1.) easdem vel *indirecte*, dum e. g. actio legitimari petitur, vel *directe*, dum defectus specificè exponitur, allegari posse. 2.) easdem comprobandas venire; frivolae etenim per iudices reiiciuntur. 2-ae: 82. 83. 1723; 38. 1729: 41. 43. 3.) Legibus patriis tantum tres exceptiones obmovendae indulgentur; coniungi tamen duae possunt, si defectus in pluribus observetur. leg. citt. et 1792: 16. 4.) Replica, id est, mutuae responsiones in exceptionibus tres indulgentur. 1729: 43. §. 12. 5.) Lege nullus ordo in ponendis exceptionibus praescriptus est; ratio tamen svadet primo iudicatum, ultimo actoratum impugnandum venire.

§. 470.

Condescensio est simplex causae in priorem statum regressio. Unde a sententia condescensoria in regula appellari nequit, excepto casu impensionis (a).

C A P V T XIV.

DE DILATIONIBVS, PROROGATIONIBVS, ET FERIIS.

§. 471.

Dilatio est causae pendens de termino praefixo ad alium legitima extensio (b). Alia est

(a) Vid. §. 375. (b) 1681: 32. 1723: 32.

est *conventionalis*, mutuo partium consensu constituta; alia *legalis*: ut prorogatio, feriae; alia *iudiciaria* medio iudicis per sententiam decreta.

SCHOL. Ad legitimitatem dilationis requiritur, ut iusta causa subversante fiat; secus est poenalis ad mentem 1729: 41.; ut alteri parti legitime, id est, per personam iudicalem insinuetur, et ut novus terminus, per modum citationis cum parte altera communicandus, constituatur; in legalibus tamen dilationibus, praesertim feriis, vi 1802: 19. reflexoria citatio necessaria haud est.

§. 472.

Prorogatio est beneficium, quo persona ratione iurium suorum ab onere passive litigandi ad tempus lege definitum immunis redditur (a). Hoc beneficio gaudent pupilli, novi Praelati separata bona habentes, viduae ex usu (b), item reipublicae causa absentes.

SCHOL. Tempus prorogationis in tribus primis casibus vi legis est annus, quo interim ad cognitionem iurium suorum venire possint. Ad faciendum usum huius beneficii Mandatum Regium prorogatorium impetrandum, iudicique exhibendum est.

§. 473.

Feriae generatim sunt illa pars anni, qua iudicia non celebrantur; quibus opposi-
ti

(a) 2-ae: 50. Math. D. 2. 6. 8. Vlad. D. 1. 72. D. 2. 14. (b) Kitt. c. 4. qu. 17.

ti sunt *iuris dies*, qui si longiori tempore durent, *termini generalium regni iudiciorum* nuncupantur, quales quatuor sunt: Epiphaniensis, Postpaschalis, S. STEPHANI, et S. MARTINI.

Epiphaniensis, Postpaschalis, S. STEPHANI, et S. MARTINI.
§. 474.

Feriae, dum iudicia quibusdam singularibus tantum diebus cessant, *strictae feriae*; dum longiori tempore iudicia non celebrantur, *iuristitia* dicuntur. Feriae sunt *divinae* ob pietatem, vel *humanae* ob negotia profana administranda constitutae; *ordinariae* statis temporibus observari solitae, vel *extraordinariae* ob speciales circumstantias nonnunquam eventientes.

§. 475.

Ad ferias divinas 1.) *ordinarias* pertinent: (a) omnes dies dominici; omnia festa fori, quae in legibus S. LADISLAI (b) recensentur, et *dies decretales* appellantur; iuristitium a festo S. THOMAE usque dominicam primam post Epiphaniam; iuristitium paschale a dominica passionis usque dominicam secundam post pascha; hebdomada Pentecostes; dies rogationum. 2.) *extraordinarias* spectat tempus publicarum supplicationum, e. g. iubilaeum etc.

§. 476.

(a) 1723: 29. (b) L. 1. c. 38.

§. 476.

Ad ferias humanas 1.) *ordinarias* refertur: iuristitium messoriale a festo S. LADISLAI usque festum S. STEPHANI; iuristitium vindemiale a festo S. MICHAELIS usque festum S. MARTINI Episc., hebdomada bachanalium a dominica quinquagesimae usque dominicam quadragesimae (a); 2.) *extraordinarias*: dies triginta ante diaetam et totum tempus diaetae (b), recentius tamen statutum (c), ut durante quoque diaeta in Comitatus causae liquidorum debitorum, violentiales, repositionales, ac Fiscus magistratualis; in L. R. Civitatibus vero omnes causae decurrant; totum item tempus insurrectionis generalis (d).

§. 477.

Effectus feriarum: 1.) Generatim cursus processus per ferias interrumpitur. 2.) Die feriali stricte actus processuales suscipi nequeunt, ut est levata, comparitio, sententiae promulgatio, praeparativa tamen, ut exhibitio citationis etc. fieri possunt. 3.) feriis humanis partes renunciare possunt, non item proprie divinis. 4.) Executio sententiae.

(a) 1723: 29. (b) 1507: 12. 1655: 49. 1723: 29.
 §. 7. (c) 1792: 16. (d) 1723: 29. §. 11.

U

tentiarum latorum, licet sit actus stricte iudicialis, in iuristitiis tamen peragi potest (a).

Schol. In S. Sedibus quoad causas matrimoniales feriae nullae, demta hebdomada Sacra, et feriis stricte divinis, observantur; quoad alias tamen causas coram S. Sedibus vertentes omnia iuristitia locum habent.

C A P V T X V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

§. 478.

Litis contestatio est responsio incatti ad principalem petitionem in actione propositam; unde liquet, litis contestationem esse ipsam meriti ianuam. ^{Est directa}, dum incattus praetensionem actoream adfirmat aut negat, vel *indirecta*, dum eandem per actorem probari petit; *generalis* vel *specialis*; *negativa*, vel *affirmativa*, seu *confessio dicta*, vel *qualificata*, dum incattus, agnita licet praetensione, ab ea tamen ex certa ratione semet absolvi postulat.

Alia est expressa alia tacita. Illa quae agnoscit & non agnoscit praetensionem. Cum actor ad actionem adducit §. 479, et probas incattus impugnat.

[(a) 1792: 16.]

§. 479.

Effectus contestationis litis a) communes sunt: 1.) Litis contestatio regressum ad exceptiva citra remedium iudicium praeccludit. 2.) Demonstrat, cui probatio incumbat. 3.) Novationem inducit, ut ex laesione personali, perpetua quasi ac realis fiat; unde in processu maioris potentiae, lite contestata, successores quoque incatti legales sequelas ferre, et in processu stare teneantur.

§. 480.

b) *Speciales*: 1.) Contestatio litis negativa probam ad actorem retrudit (a); 2.) qualificata ratione facti habetur pro confessione, ratione iuris incumbit incatto probatio, qua non praestita pro confitente habetur; nec ab hac ad simplicem redire potest. 3.) Adfirmativa iudicialis et legitima plenissimam probam praestat; *propria enim factio* vi axiomatis iuris: *mille testibus aequivalet*; et ab hac nec ad qualificatam; nec ad negativam regressus datur (b).

U 2

CA.

(a) 2-ae: 84. 1729: 27. (b) Kitt. a. 6. qu. 19.

CAPVT XVI.

DE PROBATIONE IN GENERE; DE FAMA
ITEM, RUMORE, AC PRAESUMPTIONE.

§. 481.

Probare est iudici de veritate rei controversae coram ipso vertentis fidem facere. Alia est *artificialis*, seu *interna* ex visceribus causae per ratiocinia petita, quorsum fama, rumor, praesumptio spectant; vel *externa*, et huc testes, documenta litteraria ac iuramentum pertinent; alia *plena*, vel *minus plena*, quae vel *semiplena*, vel *semiple-
na minor*, vel *semiplena maior* est; alia est *proprie dicta probatio*, vel *reprobatio*, adversarii rationum elisio.

§. 482.

Regulae de probatione: 1.) Praetensionem suam actor in regula probare debet (a), nisi praesumptio fortis pro eo militet v. g. in possessorio sit, vel incattus qualificative responderit, aut se ultro in probam immiserit. 2.) Asserenti quidpiam coram iure incumbit probatio; negativa enim ordinarie probam non recipit, nisi sit praegnans,
h. e.

(a) 2. ae. 84. 1729 : 27.

h. e. affirmativam continens, vel iuris. 3.) Reprobationes quisque, nisi ex proba contra se adducta convinci velit, praestare tenetur.

§. 483.

Fama est sermo passim pervulgatus, cuius auctor scitur, qui si ignoretur, *Rumor* appellatur. Fama et rumor exiguam probandi vim habent, suspicionem unice ad id deservientem, ut inquisitio generalis instituat, excitare possunt.

§. 484.

Praesumptio est opinio de eo, quod in similibus adiunctis saepissime accidere solet. Alia est *hominis*, quam homo; alia *iuris*, quam leges inferunt; haec est vel *iuris tantum*, dum lex quidem pro veritate quidpiam assumit, probam tamen in contrarium admittit; vel *iuris et de iure*, dum lex nec probas in contrarium admittit: ut dum in Tabulis Districtualibus incattus nec post 15. dies a termino praefixo comparet.

§. 485.

Regulae de vi probandi praesumptionum:
1.) Praesumptio hominis sola nunquam sufficit ad ferendam sententiam. 2.) Iuris sufficiens est ad sententiam in suo genere ferendam, quae tamen semper conditionata esse
cen-

censetur. 3.) Iuris et de iure ad absolutam quoque sententiam ferendam argumentum praebet.

C A P V T XVII.

DE TESTIBVS ET OCVLATA REVISIONE.

§. 486.

Testis est persona ad probationem dictis suis praestandam adhibita. Dotes testium naturaliter requisitae sunt: *scientia et conscientia*; unde his carentes *inhabiles* sunt, de quibus vero dubium subversatur, an veritatem dicere velint, *suspecti*, quibus nihil obverti potest, *omni exceptione maiores*, seu *classici* appellantur.

Schol. Pro *suspectis*, qui ad exceptionem partis adversae per iudicem removendi sunt, praeter per iuros et lucri causa scelera patrantes, habentur 1.) omnes non Christiani contra Christianum, praesertim iudaei. S. STERN. L. 2. c. 3. 2.) in criminalibus ignobilis contra nobilem, si alii sufficientes adsint. 1729: 26. 3.) interessati ob commodum aut incommodum. cit. leg. et 2. ae: 27. 4.) nexum sanguinis vel adfinitatis usque secundum gradum habentes. 5.) Subditi et servi contra dominum, praesertim in criminalibus.

§. 487.

§. 487.

Requisita testium lege (a) statuuntur: 1.) *Libertas*, ne nempe ad suae scientiae et conscientiae contrarium fatendum cogatur; ut tamen quidpiam testetur, cogi potest; imo testari nolens, ad Vice-Comitem citatus in 16. marc. gr. pond. seu 64 fl. toties quoties vincitur (b), pecunia vero destitutus pelle luit (c). 2.) *Aetas*, ut gesti negotii tempore eius aetatis fuerit, in qua cognitionem certam habere potuerit. 3.) *Modus*, ut rationem scientiae in se habeat. 4.) *Conditio* ut bonae existimationis sit. (d). 5.) *Iuramentum*, testi namque non iurato in iudicio nulla fides datur.

§. 488.

Inquisitio pro collectione fassionum testium sumta, alia est *collateralis*, quam subalterna aliqua iurisdictio, v. g. iudex nobilem cum Iuratore, vel Iuratus Tabulae Reg. Notarius extra iudicium suscipit; alia *authentica*, quam iudex in iudicio peragit alia *authentica*, dum praemissa collateralis inquisitione, testes ad petitionem partis, pro qua inquisitio facta est, coram iudicio noviter adiurantur, examinanturque.

Schol.

(a) 2. ae: 27. (b) 2. ae: 28. (c) 1563: 81.
(d) 1729: 36.

Signabiles humilis dicitur, donec alij veritas referat in criminalibus. Concanguinei collaterales affines vero servi ancillae et heredes.

SCHOL. Si testes collateraliter examinati ante authenticationem moriantur, *morte authenticari* dicuntur, eorumque testimonium, si cum aliorum authenticatorum congruat, acceptatur.

§. 489.

Ut inquisitionem collateralem seu Iudex nobilium cum adiuncto Iurassore, seu Iuratus Tabulae R. Notarius valide, et efficaciter peragere possit, praesto esse debet 1.) *Mandatum compulsorium*, omnibus sub poena legali imponens, ut iurare teneantur; 2.) *Puncta deutri* prout et 3.) *Signaturam*, seu consignationem nominum, conditionis etc. testium examinandorum a principali praetendere, ac 4.) *Exmissionem* habere debet. His instructus a cunctis iuramentum excipit, eosque singillative examinat, atque de tali ratione peracta inquisitione testimoniales litteras, quibus quaestiones, ac responsa inseruntur, expedit (a).

§. 490.

Regulae de vi fassionis testium: 1.) Inquisitio collateralis per se nihil, 2.) Authentica vel authenticata in suo genere probat. 3.) Ad plenam probam requiruntur minimum duo testes omni exceptione maiores, qui de veritate rei deponant, quorumque fassio constans sit (b).

§. 491.

(a) 1729: 23. (b) *Prol. tit. 15. 1729: 27. 29.*

§. 491.

Oculata est actus iudicialis, quo iudex ipse pro pleniori informatione veritatem rei controversae proprio visu cognoscit (a).

SCHOL. Lata oculatam imponente sententia iudex, si res mobilis sit, eam adferri curat, si immobilis, ad eam inspiciendam procedit, testimonialesque, quibus nomina praesentium inserit, conficit, in processum pro facienda proba inducendas.

CAPUT XVIII.

DE INSTRUMENTIS LITTERARIIS.

§. 492.

Instrumenta litteraria sunt scripturae ad rei gestae veritatem firmandam et comprobendam exaratae. Sunt *publica* vel *privata*, *autographa* vel *apographa*; haec vel *transumpta authentica* vel *copiae*; transumptum rursus vel est *primarium* vel *transumptum transumpti*; copiae sunt *vidimatae* vel *simplices* etc.

§. 493.

Requisita litterarum a) communia sunt: 1.) Ut veritate interna, et 2.) externa gaudeant,

(a) 2-ae: 41.

deant, seu ab eo, cuius nomen praeserunt, proficiscantur (a). 3.) tam obiectum litterarum, quam nomina litteras conficiendum, aut confici curantium clare, et specificè exprimantur (b). 4.) Omnis ratio, littera, innovatio absit. 5.) Datum, subscriptio, ac sigillum conficientis accedat. 6.) Documentum ignota confici curantis lingua scriptum, eidem sub nullitate lingua vernacula explicetur (c). 7.) iustis aliorum iuribus non repugnent, ac stilus vetustus adprobatus observetur (d).

§. 494.

b) *Specialia*: I. Documentis in *Cancellaria Regia maiori* emanatis subscriptio Regis, sigillumque regium accedere, eaque in protocollum referri debent (e). II. *Coram iudicibus regni ordinariis* confecta documenta subscriptionem ipsius Iudicis Regni ordinarii, qui documentum expedit, habere debent.

Schol. Personalis praesentiae regiae in iudiciis Locumtenens documenta Nomine regio et sub sigillo regio iudiciali expedit; Protonotarii vero nomine Principalium suorum.

§. 495.

(a) 2-ae: 14. (b) 2-ae: 17. 1723: 11. 12. 39. 46. 49. (c) 1687: 13. (d) 1-ae: 58. 59. 2-ae: 12. 1608: 9. p. c. et citt. legg. (e) 1723: 39.

§. 495.

III. *Coram Capitulis et Conventibus*, si confici curans ipse compareat, documentum confectum in conspectu Capituli per Notarium praelegendum, et nomine Capituli expediendum est; subscriptione Lectoris in Capitulis, aut Abbatis, vel Praepositi in Conventibus accedente (a); petita vero per confici curantem exmissione, duo vera membra, et quidem pro singulis actibus specialiter exmittenda sunt, sub iuramento relationem facturi; transsumta in locis credibilibus intra annum, a confectione originalis documenti computatum, ad simplicem petitionem confici curantis; evoluta vero anno nonnisi erga mandatum requisitorium extradari debent; in transumpto autem, ex qualinam documento transumptio facta sit, diserte exprimendum est (b). IV.) *Coram Comitatu* confectae litterae nomine Universitatis Praelatorum, Baronum, Nobilium eiusdem Comitatus in generali Congregatione expediuntur, ac subscriptae per Magistratuales sigillo Comitatus muniuntur, protocolloque inferuntur. Extractus tamen protocollorum, et his similia Notarius sub proprio suo sigillo extradare solet (c).

§. 496.

(a) 2-ae: 13. 17. (b) 1723: 42. 1765: 11. 1741: 25. (c) 1723: 58.

§. 496.

Regulae de vi probandi litterarum: 1.) litterae falsae, interna aut externa veritate carentes (a), prout et 2.) usu non roboratae vi probandi carent (b). 3.) Documenta authentica originalia id, de quo ex professo tractant (c), prout et 4.) transumpta authentica primaria, cuius originalia improtocolata sunt, plene probant (d). 5.) Transumptum secundarium ad defensionem iuris, non item ad acquirendum ius sufficit; leges (e) enim ad acquisitionem iurium originales litteras deponunt. 6.) Copiae seu vidimatae seu simplices, nisi adversarius illis fidem habeat, ad probam nihil conferunt. 7.) Documentum privatum ad perennalitem inter vivos transferendam, et probandam nunquam sufficit, mortis tamen causa per testes solemnizatum valet (f). 8.) Documentum privatum contra scribentem est efficax, pro scribente tantum in unico casu quoad mercatores, si liber formaliter confectus sit, semiplene probat (g).

CA.

(a) 2-ae: 13. 14. 1723: 11. 12. (b) 2-ae: 11. 12.
 (c) 1-ae: 37. 2-ae: 15. (d) 2-ae: 15. 1723:
 48. (e) 1-ae: 37. (f) 2-ae: 43. 1723: 47.
 (g) 1723: 53.

CAPVT XIX.

DE IVRAMENTO.

§. 497.

Iuramentum est contestatio, qua ad vindictam divinam provocamus sub conditione falsiloqui moralis. Est *assertorium* ad persuadendum depositum, vel *promissorium*; *iudiciale* vel *extraiudiciale*; *iudiciale* vel *voluntarium* vel *necessarium*; *voluntarium* vel *oblatum*, dum quis se iurare velle adversario proponit, vel *delatum*, dum pars una alteri, ut iuramentum deponat, offert, vel *relatum*, dum pars, cui oblatum fuit, ad offerentem, ut is iuret, retorquet; *necessarium* est vel *revelatorium* ad rescindendas occultas circumstantias, vel *litis decisorium* in defectu alterius probae impositum; hoc vel *suppletorium*, dum iam semiplena proba praestita est, vel *purgatorium*, quod semiplena proba gravato, eamque aliter elidere nequeunt, imponitur.

§. 498.

De iuramento a) *generatim* notandum: illud non nisi exigente necessitate, (a) et qui-

(a) 1609: 29. 1613: 23.

quidem personis vim huius actus sufficienter perspicientibus (a); iudiciale vero tantum aliis probis deficientibus decernendum venire; deposito vero iuramento tantam fidem tribuendam esse, ut sententia pro iurante, a qua adpellatio non competit, feratur (b); obligationem demum iuramentum deponendi ordinarie tantum personalem esse.

§. 499.

b) *Speciatim*: I. *De promissorio*; illud quamquam praecedentem promissionem supponere, eiusque naturam imitari. II. *De iudiciali voluntario*. 1.) Iuramentum oblatum ab adversario acceptatum, iurantem a praetensione liberare. 2.) Iuramenti delati eam esse indolem, ut is, cui delatum est, nisi causa cadere velit, vel iurare vel referre debeat (c). 3.) Iuramentum relatum praecise praestari debere. 4.) Omnibus vero his in casibus, an iuramentum necessarium sit, aut minus, auctoritate iudicialia determinandum venire (d).

§. 500.

III. *de revelatorio*, 1.) hoc ad petitionem partis unius, dum praetensione principa-

(a) 1-ae: 130. 2-ae: 27. (b) 1729: 30. (c) Citr. 1729: 30. (d) 1609: 29. 1613: 23. 1729: 30. §. 8. 9. 10.

cipali in genere probata, adiuncta nonnulla adhuc latent, per iudicem alteri imponi. 2.) sententiam talem esse interlocutoriam, proinde appellatam respicientem. 3.) iuramentum sententia mediante impositum deponere detrectantem in poena 500 fl. convinci (a). IV. *De litis decisorio* 1.) actore nihil probante, vel ordinariam aliam probam promittente, hoc iuramentum velut probam nonnisi subsidiariam, non decerni. 2.) Actore semiplenam probam praestante, incatto probam contra se allatam in negotio sibi soli cognito aliter elidere nequeanti, iuramentum purgatorium admitti; in negotio vero soli actori, aut illi aequae, ac incatto noto, actorem iuramentum suppletorium deponere. 3.) In casibus occultis, facto actori aequae ac incatto cognito favorabiliorem esse incatti conditionem; illi proinde iuramentum iudicialiter defertur, actor vero in expensis vincitur (b).

§. 501.

Periurium est violatio iuratae fidei. Poena lege (c) statuta in perpetua infamia, inque inhabilitate amplius testimonium praebendi (d), et honorem vindicandi, ac in depensione integri homagii, nempe 200 fl. con-

(a) *ux usu ac Dec. Cur. iuxta* 1659: 43. (b) 1613: 23. 1729: 27. §. 4. (c) 2-ae: 30. (d) 2-ae: 30. 39. et sensus 1729: 27.

consistit; contra iurisdictionem vero S. Coronae periurium comittens omnia bona tam mobilia, quam immobilia in perpetuum amittit.

SCHOL. Cognitio, et decisio periurii ad S. Sedem spectat; poenam vero iudex secularis, et quidem ob eius asperitatem Tabula regia dictat. 2-ae: 52. 1458: 9. MATH. D. 1. 3.

C A P V T XX.

DE SENTENTIA, EXECVTIONE, ET AESTIMATIONE.

§. 502.

A.) *Sententia* est actus iudicialis quaestio- nem controversam decidens; alia est *interlocutoria*, quae de praeliminari quapiam quaestione, vel *definitiva*, seu *meritoria*, quae de ipso litis obiecto fertur; alia *pure interlocutoria*, vel *vim definitivae habens*, dum decisa praeliminaris quaestio meritum quoque adficit; ratione fori vel est *primae instantiae*, vel *superrevisoria*; alia est porro *appellabilis*, aut minus.

§. 503.

Sententia, quae ex natura rei clara, determinata, ac absoluta esse debet, ut *legitima* sit, iuxta allegata et probata ex praescripto le-

legum, et consuetudinum in pleno iudicio votis unanimibus vel pluralitate votorum iuris die feratur, est necessum (a).

§. 504.

Effectus sententiae: pro se praesumptionem iuris, quod rite lata sit, habet, et ideo in rem iudicatam abit, nisi remedio quopiam iuridico vis eius sistatur; constituit denique ius, et quasi legem inter partes sapit.

§. 505.

B.) *Executio*, sine qua sententiae inanes ac supervacaneae essent, est actus iudicialis sententiam convictivam in realem effectum deducens (b).

§. 506.

Ut *Executio legitime* peragatur, necessum est: 1.) sententiales cum praefixione termini executionalis suo modo exequendo communicentur, et ipsa executio publice coram convocatis fiat. 2.) Quilibet iudex executionem tantum in suo territorio suscipere, per compassum tamen alibi continuari facere potest. 3.) *Executio* intra annum a die

(a) *Procl. tit. 10. 3-ae: 2. Math. D. 6. 20. §. 2.*
(b) *Math. D. 6. 1. 1567: 28. 1548: 17. 1647: 93.*

die latae sententiae peragatur, secus vis sententiae exspirat (a), quae tamen vel per *Mandatum renovatorium sententiae*, vel per *processum ad renovationem sententiae* resuscitari potest. 4.) De toto denique executionis actu litterae relatoriae per exequentem iudicem conficiendae sunt.

SCHOL. Error in executione commissus vel per *mandatum correctorium executionis*, vel per *processum correctorium executionis* coram eodem iudice ex 1723: 33. movendum corrigi potest. Ius rem in executionem sumendam denominandi est penes convictum; et quidem iuxta 1659: 31. primum pecunias, dein res mobiles facile in pecuniam convertibiles; demum res immobiles denominandae, taliterque exequendae; in debitis tamen liquidis res immobiles ante mobiles in executionem sumuntur. 2-ae: 67. 87. 1659: 31.

§. 507.

C.) *Aestimatio* est determinatio valoris rerum, vel iurium; alia est *publica* vel *privata* ratione auctoritatis eandem suscipientis, alia *communis*, lege (b) determinata, vel *condigna* iuxta verum valorem rerum, vel *perennalis*, in qua ob perennalitatem condignam adhuc quidpiam superadditur.

§. 508.

Aestimatio communis non nisi in casibus lege expressis locum habet (c); *condigna*

(a) 2-ae: 57. §. 5. 6. 1574: 31. *fin.* (b) 1-ae: 133.
(c) 1-ae: 134. 2-ae: 41. 1556: 11. 1723: 15.
1729: 34.

qua vero relate ad res mobiles per homines intelligentes, conscientiosos, et adiuratos (a), relate ad fundos immobiles iuxta annuos mediocres redditus (b), quoad res industriae humanae per artis peritos, actualem rei statum considerando (c), quoad damnum denique per eruendam status prioris, et moderni differentiam peragitur.

SECTIO TERTIA.

DE REMEDIIS IVRIDICIS.

§. 509.

Remedium iuridicum est beneficium legis, quo defectus admissi corriguntur, praeiudiciumque inde profluens avertitur. Alia sunt *principalia*, quae distinctum processum supeditant, e. g. rectificatio divisionis; alia *accessoria*, quae eveniente errore in processu adhibentur, et *stricte remedia iuridica* appellantur; alia *extraiudicialia*: ut est protestatio, inhibitio; alia *iudicialia*, quae non nisi decurrente processu adhiberi queunt; atque hoc loco remedia iudicialia accessoria referentur, quae sunt: Depositio causae, Re-

X 2

VO-

(a) 1-ae: 95. (b) 1715: 23. (c) *Plan. Tab. de Aest. Dec. 2. 3. 4. 12.*

vocatio Procuratoris, Prohibita, Appellata,
Oppositio, Repulsio, Novum Iudicium.

CAPVT XXI.

DE DEPOSITIONE CAUSAE.

§. 510.

*Donatur
ante leu
dicitur a
ens, si
consequen
totalis
Edens dicit
licari
partialis*
Depositio causae est remedium iuridicum, quo actor causam suam pendentem ob defectum sibi notum cum legalibus oneribus coram iudice cassat (a). Estque vel *totalis*, vel *partialis*, prout causa vel ex toto, vel ex parte deponitur (b).

Schol. Remedium hoc actor vel per se, vel per plenipotentiarium, vel per procuratorem, et quidem coram omni foro, ac in eodem processu iteratis vicibus adhibere potest. 2-ae: 82. §. fin. *Plan. Tab. de depos. Dec. 4.* Casus, in quibus lege hoc remedium negatur, sunt: 1.) Si actor ex *hirsagii* per adversarium praestito participavit. 1729: 40. 2.) In querulosis processibus, si incattus contra actorem poenam indebitae iam petiit. *citt. legg. 3.* 3.) Calumniae casu subversante, si deponere volentis adversarium vel calumniae poenam iam ursit, vel litteralia documenta ad finalem sententiam iam producta sint. 1547: 73.

§. 511.

(a) 2-ae: 82. §. 22. 1729: 40. (b) *Kitt. c. 4. qu. 16. Plan. Tab. de depos. Dec. ult.*

§. 511.

*Cessio hirsagii
totalis p
sionis re
tio hirs
soluitur
potest can
dus rufu*
Onus cum depositione causae connexum consistit in *solutione hirsagii*, in foris inferioribus tres, in Tabulis sex florenos efficientis, ac in una tertia incatto, in duabus vero tertiis iudici cedentis (a); et sumtuum processualium adversario per talem actionem vitiosam factorum.

CAPVT XXII.

DE REVOCATIONE PROCVRATORIS.

§. 512.

Revocatio Procuratoris est remedium iuridicum, quo litigantium quispiam erronea, et praeter intentionem suam in processum inducta Procuratoris sui dicta et facta cum solito onere coram iudice retractat, novaque responsione supplet (b).

Schol. Remedium revocationis in omni foro toties quoties litigantes, vel per se, vel per plenipotentiarium adhibere possunt. Excipiuntur quinque antiqui maioris potentiae casus, *VLAD. D. 4. 13. 1550: 56*; item dum lex omnia remedia praescindit, aut quis huic remedio renunciavit, vel ex *hirsagio* adversarii participavit, usus huius remedii non competit. *Kitt. c. 8. qu. 22.*

§. 513.

(a) 1729: 40. (b) 2-ae: 79. 80. 1729: 39. 1807. 8. §. 1.

§. 513.

Quoad tempus instituendae revocationis hae regulae tenendae: 1.) Ante definitivam sententiam revocatio in omnibus causis seu longae seu brevis litis locum habet (a). 2.) In causis brevis litis nec in Tabula Regia, nec in aliis inferioribus iudiciis post sententiam definitivam admittitur, nisi vis sententiae per remedium quodpiam iuridicum e. g. prohibitam sistatur (b). 3.) In causis longae litis lite in ultimo termino vertente, non nisi ante definitivam sententiam adhiberi potest; eadem vero in anterioribus terminis constituta, revocatio etiam post meritoriam sententiam fieri potest (c).

Schol. Circa causas longae vel brevis litis haec est regula: in inferioribus iudiciis omnes causae sunt brevis litis; in Tabula autem Regia vel Banali sunt partim longae, partim brevis litis causae; et causae longae litis sunt omnes causae iuris radicalis, et ex usu suscitatae, eae, de quibus lex expresse dicit, eas longae litis processu, aut intra quatuor terminos octavales revideri debere; talesque causae quatuor status, qui termini causae dicuntur, habent: primus est processus fundamentalis, secundus penes prohibitam, tertius penes repulsionem, quartus penes viam novi.

§. 514.

(a) 1729 : 39. §. 7. (b) Citt. legg. Plan. Tab. de revoc. Dec. 3. (c) 2-ae : 77. §. 6. 1729 : 39.

§. 514.

Onus cum hoc remedio coniunctum aliud est minus, quod in iudiciis inferioribus trium, in Tabulis sex florenorum est; aliud maius absque discrimine fororum in 200 fl. consistens. Regulae circa hoc onus praestandum vi legis (a) sequentes obtinent: 1.) Revocatione ipsa latae sententiae onerosae die intervenita, lex quidem nullum onus praestandum esse disponit, usus tamen minus solvendum exigit. 2.) Si post diem latae sententiae, intra tamen eundem iudiciorum terminum revocatio fiat, onus minus praestatur. Perinde 3.) minus onus solvendum venit, etiamsi sequenti termino fiat, modo dilatio facto iudiciis contigerit, aut effectus sententiae remedio quopiam sistatur. 4.) Dilatione tamen facto revocantis intervenita, nec remedio quopiam effectu latae sententiae sustentato, seu dum via novi proceditur, maius onus dependendum venit.

C A.

(a) 1729 : 39.

CAPVT XXIII.
DE PROHIBITA.

§. 515.

Prohibita est remedium iuridicum, quo pars succumbens per allegatum verbum *prohibet*, effectum sententiae tabularis ita sistit, ut ~~extra~~ attentatam executionem eodem ipso processu novas meritorias probas inducere possit (a).

§. 516.

Ut prohibita legitime fiat, requiritur: 1.) ut ipsa latae sententiae die interponatur, processuique inseratur (b). 2.) Prohibita per totum litis decursum bis tantum, et quidem semel sine, altera vice cum onere 6 fl. adhiberi potest (c). 3.) Prohibens ad condensorias exceptiones regredi nequit, et sine mora rationem prohibitae reddere debet; si enim secundo ab interposita prohibita termino talem non reddiderit, ultimo octiduo eiusdem termini prohibita iudicialiter reiicitur (d).

SCHOL.

(a) 1618: 15. 1729: 38. 1792: 16. (b) *Ex usu Curiae Reg.* (c) 1729: 38. *Plan. Tab. de proh. D. 1.* (d) 1807: 8. §. 2. *Plan. Tab. de prohib. Dec. 2.*

SCHOL. Licet 1729: 38. sex ultimis termini diebus prohibitam interponi non posse statueret, consuetudine tamen contrarium, ut adeo ultima quoque die inseri valeat, inductum est. *Plan. Tab. de proh. Dec. 3.*

CAPVT XXIV.
DE APPELLATA.

§. 517.

Appellata est remedium iuridicum, quo per sententiam iudicis inferioris gravatus causam sine maturioris revisionis ad superiorem iudicem provocat, et referri vel transmitti postulat (a).

SCHOL. Processus *referri* dicitur: dum iudex, a quo appellatur, ad idem corpus, ad quod appellatur, pertinet; sic processus a Vice-Comite ad Sedriam refertur; si secus, causa *transmitti* dicitur.

§. 518.

Appellata legitime fieri debet, ad quod requiritur: 1.) ut die ipsa latae sententiae interponatur (b)! 2.) in causis tabularibus, interposita prohibita, illa die, qua prohibita ceditur, appellata inserenda est (c). 3.) Appellata, exceptis causis criminalibus, quae a primo iudice directe ad Tabulam Regiam trans-

(a) 1729: 28. 29. 30. (b) *Plan. Tab. de Appel. Dec. 12.* (c) *Plan. Tab. loc. cit. Dec. 13.*

transmittuntur, citra saltum, quousque leges permittunt, fit, et quidem prout lex praescribit, appellata vel intra, vel extra dominium admittitur, h. e. vel appellans succumbens in possessorio permittitur, vel executionem prius subit, et appellatam extra possessorium prosequitur.

§. 519.

Regulae circa causas intra vel extra dominium appellabiles: 1.) causae a Tabulis Districtualibus ad Tabulam Regiam promotae, quae in 1729. art. 28. recensentur, sunt extra, ibidem non nominatae, intra dominium appellabiles (a). 2.) Causae Comitatus illae, quae tam in citato 28. quam 29. Articulo 1729. nominantur, a primo iudice ad Sedriam intra, hinc ad Tabulam Regiam extra; quae vero in art. 28. non item in 29. recensentur, per totum extra; eae demum, quae nec in art. 28. nec in 29. nominantur, semper intra dominium appellantur. 3.) Causae a Sedibus dominalibus ad Sedriam, item a Magistratibus civicis ad Sedem Tavernicalem, vel personalitiam appellatae, eandem, quam Causae Comitatus, subeunt considerationem.

§. 520.

Effectus Appellatae: 1.) interposita appellata auctoritatem iudicis inferioris suspenden-

(a) 1729: 28. §. 26.

dendo, eidem obligationem processum transmittendi aut referendi imponit. 2.) Appellanti enascitur officium causam appellatam debito tempore promovendi; si enim intra tres menses id facere intermittat, facultatem intra dominium appellandi perdit (a). 3.) Superiori iudici incumbit obligatio causam appellatam discutiendi, sententiamque ferendi. 4.) Per sententiam iudicis superioris nonnunquam reexecutione decreta, fructus intermedio tempore appellanti adiudicantur (b); quo in casu relate ad causas Comitatus tempus refundendorum fructuum perceptorum non a Sententia procedentis Iudicis Nobilium, aut Vice-Comitis, verum a Sententia Sedriali computatur.

§. 521.

Inappellabiles de lege sunt 1.) Sententiae pure interlocutoriae; excepto casu impensionis, item si iuramentum incompetenter impositum sit (c). 2.) Causae ad exequendum remissae (d). 3.) Causae ad Curiam Regiam appellatae, dein novisatae coram primo iudice (e). 4.) Sententiae contra testificari nolentes, iudicium item compromissionalium, ac iuxta iuramentum iudiciale latae (f). 5.) Cau-

(a) Plan. Tab. de Appell. Dec. 24. (b) 1729: 32. (c) 1729: 41. (d) 1729: 30. §. 2. (e) 1729: 30. §. 3. et Plan. Tab. de App. Dec. 7. 8. excipiuntur tamen casus in 1791: 46. seqq. expressi. (f) 1729: 30. §. 4-8.

Causae per transactionem terminatae. 6.) Sententiae ex contumacia latae (a). 7.) Si partes medio contractus appellatae renunciarunt; appellata tamen, si in genere tantum omnia remedia, seu lege, seu conventionem praeclusa sint, inclusa esse haud censetur (b). 8.) Olim causae criminales etiam inter inappellabiles referebantur (c); hodie tamen, si poena capitis, aut ei aequivalens, ut est trium annorum carcer, aut 100. baculorum ictus ad semel infligendi, dictata sit, ad Tabulam Regiam, hinc vero ad Septemviralem, non nisi, dum sententia pure capitalis fertur, appellari debent. (d).

Schol. Ut sententia interlocutoria per iudicem superiorem quoque revideatur, post talem, praemissam sententiam pro appellata declaro, inserendum est.

Immo inappellabilis oppositio appellatur per nos
Datum tunc
CAPVT XXV.

DE OPPOSITIONE.

§. 522.

tum contra
cutionem
lem oppo,
io vult.
Oppositio est remedium iuridicum, quo exequendus realem iudiciariam executionem sententiae brevis litis minaci quopiam facto impedit (e). Factum simile est elevatio baculi cum declaratione verbali; cum gentibus

ve-

(a) *Vsus, et Plan. Tab. de App. Dec. 8.* (b) 1729:28. § 17. (c) 1729:30. (d) 1791:43. (e) 1729:33. 34.

vero, id est, cum multis hominibus oppositionem facere, sub amissione causae vetitum est (a).

Schol. Oppositio in causis L. R. Civitatum ex usu non admittitur, ad quem art. 20. Iaz. provocat, et qui per Curiam Regiam adprobatus habetur. *Plan. Tab. ad dand. oppos. rat. Dec. ult.*

§. 523.

Legitima
est sine
pat cum
gentibus
indist
legati n
decip
curatib
lyala
Rationes legales oppositionis sunt quatuor: 1.) Si quis non citatus vel non convictus executione impetatur. 2.) dum iudex executionem ad bona per sententiam haud adiudicata extendit. 3.) dum iudex evidenter incompetens, non obstante exceptione, eatenus interposita, iudicatum stabilivit. 4.) si in causa manifeste intra dominium appellabili appellata vel simpliciter, vel saltem intra dominium admissa non fuit (b).

§. 524.

Oppositio intervenita triumphans bona ingredi nequit sub amissione causae (c); verum processu oppositionali, seu brachiali opponentem ad reddendas oppositionis rationes ex 1729:34. 1792:16. ad iudicem processus fundamentalis citat; postoque oppositionis facto, nisi opponens legales rationes reddiderit, eundem in poenis oppositionalibus, 50. marc. gr. pond. constituenti.

(a) *Vlad. D. 4. 19. et cit. 1729:33.* (b) 1715:19. 1729:33. (c) *Vlad. D. 4. 19. 1729:33. §. 8.*

tibus, refusione item expensarum, ac damnorum, ac restitutione fructuum intermedio tempore perceptorum convinci facit (a).

SCHOL. 1.) In Tabulis Districtualibus non admissa intra dominium appellata, causam oppositionis constituit, processus oppositionalis penes appellatam accessorie tantum coram Tabula Regia revidetur. 1729: 34. §. 4.

SCHOL. 2.) Ad poenas oppositionales etiam ignobilis contra nobilem agere potest, tum quod hic non tam laesio privata, quam laesa auctoritas iudiciaria vindicetur; tum quod lex non distingvat, et secus executio pro ignobili semper eludi possit.

SCHOL. 3.) Binaria oppositione per 1807: 11. sublata, executio contra succumbentem binarie semet opponentem cum brachio peragitur, et expensae quoque pro brachio insumtae per succumbentem refundendae veniunt.

C A P V T XXVI.

D E R E P V L S I O N E.

§. 525.

Repulsio est remedium iuridicum, quo exequendus iudiciariam executionem realem sententiae longae litis in anterioribus terminis latae aliquo minaci facto impedit (b).

COROL. Repulsio in processu fundamentali, et penes prohibitas locum tantum habet, utpote in terminis anterioribus; in processu enim repulsionali

(a) 1681: 31. 1729: 33. 34. 1792: 16. §. 6. (b)
2-ae: 74—76. 1789: 33. 34.

ob rectum ordinem, et in processu novi, tanquam ex natura sua brevis litis, adhiberi nequit. 1729: 33. §. 1. *Plan. Tab. de Repuls. Dec. 15.*

SCHOL. Repulsione utens homines armatos in limitibus territorii, iudicem exequentem repellentes, collocare solet; ex praxi tamen Curiae Regiae iam nunc processui quoque tali ratione inseri solet: *pro I. semet pro repellente declarat.*

§. 526.

Repulsio legalis, legibus nempe conformiter absque publicae securitatis turbatione suscepta, rationes duplicis generis habere potest: aliae sunt, quae a poenis repulsionibus repellentem liberant, vi sententiae fundamentalis haud elisa, suntque eadem, quae legales oppositionis poenas (a) constituunt; aliae vero vim quoque fundamentalis sententiae enervant, atque intervertunt (b).

§. 527.

Contra repulsionem bona ingredi sub amissione causae cautum est; verum repulsus ex 2-ae: 73. 74. 1729: 33. 34. coram eodem iudice movet *processum repulsionalem*, et probato ex relatoriis litteris exequentis iudicis facto repulsionis, repellens, si in reddendis legalibus repulsionis rationibus deficiat, in poenis repulsionibus convincitur; sin sufficientes proferat, a poenis absolvitur; aut novis quoque meritoriis probis

(a) §. 525. (b) *Plan. Tab. de Rep. Dec. 4. 5. 7.*

allatis, sententia quoque fundamentalis immutatur.

Schol. Poena repulsionis, legali ratione haud reddita, consistit in depensione unius marcae auri i. e. 72 fl. et quidem olim absque refusione expensarum ac restitutione fructuum, 2. ae: 73. §. 4. 1729: 33. §. 6., hodie vero in legalibus repulsionis rationibus assignandis, deficiens etiam in restitutione fructuum a tempore interpositae repulsionis computandorum, ac expensarum vincitur. 1807: 8. §. 3.

§. 528.

Reoccupatio bonorum, dum nempe exequendus vel ob absentiam, vel ignorantiam termini executionis opponere aut repellere, praehabita ratione sufficienti, nequiverat, (a) prout causa brevis vel longae litis erat, naturam oppositionis aut repulsionis induit; proinde in *processu reoccupatorio* triumphans factum reoccupationis, reoccupator vero rationem reoccupationis docere debet.

C A P V T XXVII.

D E N O V O I U D I C I O .

§. 529.

Novum iudicium est remedium iuridicum, quo quis amissam causam suam ~~post pet~~ etiam

(a) 1729: 33. 34.

etiam executionem rursus resuscitat, atque errores commissos corrigit (a).

Schol. Hoc remedium omnibus causantibus succumbentibus nobilebus, aequae ac ignobilibus, in omni causa competit. *Plan. Tab. de actor. real. Dec. 5.* Atque in regula *omne novum extra dominium* est, exceptis causis iuxta ordinem iudicium Iosephinum tractatis (b).

§. 530.

Novorum species olim quatuor erant: *novum simplex*, dum penes simplicem libellum actionalem novisatur (c), *novum cum gratia*, mandato videlicet novi cum gratia a Rege impetrato (d), *novum cum inhibitione*, ac *novum cum appellatae cessione*; hodie sublatis (e) posterioribus, duae priores novorum species obtinent; de quibus notandum: 1.) processus novi coram iudice processus fundamentalis per eum, qui in processu stetit, et in eo succubuit, aut eius successores suscitandus est (f). 2.) utrumque novum semel tantum conceditur (g). 3.) obiectum diversum in novo esse nequit, et novisans, tantum favorem sperare potest (h), 4) processum usque Septemviratum deducens, novo simplici uti nequit (i); atque ideo novum

(a) 2. ae: 75. 77. 78. 1723: 33. 1729: 38. (b) 1791: 46. (c) 1723: 33. (d) 2. ae: 77. (e) 2. ae: 77. §. 3. (f) 3. ae: 11. 1659: 126. 1655: 53. (g) *Citt. 3. ae: 11. §. 1.* (h) *Plan. Tab. de nov. Dec. 11. 12.* (i) *Plan. Tab. loc. cit. Dec. 13.*

vum cum gratia, dum simplex, vel iam exhaustum, vel per appellationem usque Septemviratum interclusum est, adhiberi consuevit.

§. 531.

Penes remedium novi omnia motiva nova meritoria induci possunt, regressu tamen ad exceptiva processus fundamentalis haud competente; processus vero primitivus, velut documentum, semper, dum in merito processus novi agitur, et quidem iuxta praxim Curiae Regiae per novisatum perducendus est (a).

CAPUT XXVIII.

DE BIRSAGIIS.

§. 532.

Birsagium est mulcta pro varietate adiutorum varie praestanda. Est iudiciale vel extraiudiciale; principate vel accidentale, spontaneum vel necessarium.

§. 533.

Generatim de birsagiis notandum: 1.) praxi hodierna de termino ad terminum birsagia amplius non duplicantur (b). 2.) si dictatum birsagium illico in natura vel signo dependatur, marca ab uno; si iudex pro levanda mulcta mittere requiratur, a duobus; si

(a) Plan. Tab. loc. cit. Dec. 1. item 1609: 29 §. 8. 1613: 25. §. 9. 10. (b) 2-ae: 86.

denique executione mediante desumi debeat, a quatuor florenis computatur (a). 3.) ex birsagio in regula duae tertiae iudici, una tertia adversario cedit; nisi lege aliter disponatur. 4.) Birsagia imprimis in pecuniis, dein rebus mobilibus, tandem immobilibus desumuntur (b).

SCHOL. Praecipuas species hic loci referemus; nonnullis suo loco in decursu institutionum iam expositis.

§. 534.

A.) *Calumnia* hic loci est delictum privatum, quo quis alterum lite fraudulenter vexat (c).

§. 535.

Casus calumniae partim lege expressi, partim praxi ad legem reducti sunt: 1.) dum idem obiectum eodem tempore duplici processu quaeritur; aut 2.) eadem res duplici et incompatibili titulo praetenditur vel defenditur. 3.) dum quis processu rem talem quaerit, de qua nullam amplius praetensionem sibi esse, alterum securum reddidit (d). 4.) Litem legitime terminatam absque apto remedio iuridico suscitans, item 5.) litteras, quas mediante processu ab alio repetit, ipse habere inventus poenam calumniae incurrit (e). 6.) si quis binaria citatione principali in eadem causa ratione eiusdem personae, et obiecti (f), aut

Y 2

7.)

(a) 2-ae: 86. §. 3. 4. 13. (b) *Citt. leg.* (c) 2-ae: 70. 71. (d) 2-ae: 70. (e) 2-ae: 34. (f) 2-ae: 70. §. 2.

7.) duobus remediis iuridicis inter se pugnantibus, velut esset novum et appellata, aut 8.) plane remedio sibi praecluso utatur. 9.) dum quis extra casus lege admissos Hungarum ad exterum forum citat (a). 10.) si occasione Insurrectionis nobilitaris ad arma arripienda coactus, Magistratuales ob id lite conveniat (b).

§. 536.

Poena calumniae posita est in deper- sione 200 fl. et amissione causae in perpetuum, etiamsi secus iustissima foret (c); quam inferiores quoque iudices dictare, ac in executionem sumere possunt (d).

SCHOL. Calumnia haud probata, illam alleganti poena talionis infligi nequit; nulla enim lege id sancitur. *Plan. Tab. de Cal. Dec. 3.*

§. 537.

B.) *Violatio sedis iudiciariae* est delictum, quo quis indecenti dicto aut facto in figura iudicii commisso, dignitatem eiusdem violat. *Poena* promte h. e. in eodem consensu dictanda, est 25. marc. quae illico depositae levis ponderis sunt, secus crescunt dum vero ipsi iudices laeduntur, semper sunt gravis ponderis 100 fl. constituentes.

SCHOL. Ea de causa olim iudicia cum armis ingredi vetitum erat; secus nobilis in amissione armorum, et una marca gr. pond. puniebatur; ignobilis praeter ademptionem armorum in cippum claudebatur. *Vlad. D. 1:79.*

§. 538.

(a) 1622: 25. 1630: 28. (b) *Vlad. D. 4. 21. §. 5.*
(c) 2. ae: 70. (d) *Plan. Tab. de Cal. Dec. fin.*

§. 538.

C.) *Poena temere appellantium*, id est, eorum, qui usque Septemviratum causam perducendo, nullam favorabilem sententiam accipere, est 1.) refusio expensarum, etiamsi secus indoles causae id non deposcat (a). 2.) temere appellans, atque in possessorio manens triumphanti fructus a tempore, quo executio peragi debuisset, reddere debet, quod in Comitibus a Sedriali sententia computatur. 3.) arbitrio Septemviratus, per quem duntaxat haec poena dictari potest, insuper poena pecuniaria additur.

§. 539.

D.) *Silentium* est poena, qua procurator propter delictum quodpiam contra fidem, officiumque suum commissum, ab agendis causis removetur. Aliud est *perpetuum* vel *temporaneum*, aliud *universale* vel *particulare* (b).

SCHOL. Idmodi delicta sunt: contra iuramentum agere, principalem deserere, arcana revelare, de quota litis transigere etc.

§. 540.

E.) *Emenda linguae* hoc loco est poena, quae procuratoribus a munere suo deflectentibus infligitur. Haec poena in 25. marc. pro ratione depositionis iam levis, iam medii, iam gravis ponderis, sine expensarum refusione consistens; duobus in casibus potissimum obtinet: dum nempe procurator causam abs-

(a) 1729: 32. (b) 2. ae: 30.

absque legitimo mandatariatu defendat; aut laesivis terminis in allegationibus utatur, seu ut dicitur, ad personalitates deveniat (a).

C A P V T XXIX.

DE MANDATIS IUDICIARIIS, INSTANTIA,
AC COMMISSIONE NEOACQVISTICA.

§. 541.

Mandatum iudicarium est ordinatio supremorum regni iudicum ratione processuum aliquid praestandum legitime iniungens. Mandata alia sunt *simplicia* vel *composita*, dum in uno documento plures mandatorum species concurrunt, e. g. cassatorio - reexecutorium; alia *legitima* vel *illegitima*, quae speciali lege extradari prohibentur, ut sunt missilia, in forma epistolarum data (b), simplicia reexecutoria (c), clausulas insolitas continentia (d); in quibus praescripta clausula iustificatoria desideratur (e), quorum item expositio manifeste falsa est; denique legi haud applicata (f).

§. 542.

Praecipuae ac maxime usitatae mandatorum species sunt: *Mandatum Praeceptorium* (g), *Evocatorium* (h), *Compulsorium* (a),

(a) 2-ae: 72. et argumentum 1723: 57. (b) 1625: 5. 1630: 10. 1635: 12. (c) 1681: 30. (d) 1655: 53. 1659: 45. 1681: 30. 1608: 9. a. c. (e) 1563: 80. 1681: 30. (f) *Citt. legg.* (g) 1-ae: 45. (h) 1-ae: 33.

(a), *Requisitorium* (b), *Inhibitorium* iudicem inferiorem ob incompetentiam iudicatus causam revidere vetans (c), *Prorogatorium* (d), *Transmissionale* (e), *Executorium* (f), *Cassatorio - reexecutorium*, *Cassatorio - reexecutorio - inviatorium*, *correctorium executionis* (g), *Superabundans* (h), *Fulminatorium*, *Extraseriale* (i), *Novi cum gratia* (k), *Relaxatorium*, quo prioris mandati vinculum resolvitur, et plura alia.

SCHOL. Taxae mandatorum iudicialium in schemate taxarum per M. THERESIAM Imp. defixae sunt.

§. 543.

Mandatum obtentum iudici id ipsum intra 60. dies indorsaturo praesentari debet, vi eiusdem secus expirante (l); medio indorsationis, vel mandatum, ut legitimum acceptatur, vel ut illegitimum seponitur, vel expositione eius dubia existente, ad forum contradictorium relegatur. Iudex vero legitimo mandato haud obsequens, *ad poenam non observati mandati iudicialis* per impetrantem coram Tabula Regia citatus in 200 fl. amissione officii, et poena infamiae convincitur (m); quo tamen in processu, si

(a) 2-ae: 28. 1563: 81. (b) 1723: 42. 43. 1741: 25. 1765: 11. (c) 1681: 50. (d) 2-ae: 52. 1715: 19. (e) 3-ae: 35. (f) *Utd. D. 5. 9. —* 1548: 43. 1662: 29. (g) 2-ae: 57. 1574: 71. (h) 1630: 12. (i) 1715: 16. 1729: 43. (k) 2-ae: 77. 78. 3-ae: 11. (l) 1-ae: 33. (m) 1563: 78. 79. 80. 1655: 53.

iudex legitimam non acceptationis rationem reddat, actor ratione cuiusvis iudicis ad non acceptationem mandati concurrentis in 400 fl. convincitur (a).

§. 544.

Instantia est scriptura pro favore, et beneficio sibi conferendo alteri porrecta. Porrigitur autem vel in negotio gratiae vel in re iustitiae; in re iustitiae hodie unicus fere casus est, ubi via instantiae praescripta habetur, in fiscalitatibus nempe antiquis, ante annum 1715. ad S. Coronam devolutis, de quibus nemo, antequam adversarius via instantiae ad Regem recurrendo, causam ad cursum iuris relegari petat, respondere tenetur (b).

§. 545.

Commissiones neoacquisticae ideo (c) ordinatae, ut coram iis ius suum probarent, qui bona per bella Turcica amissa, ac felicibus LEOPOLDI M. ac CAROLI III. Regum armis recuperata, a Rege repetebant; deinceps (d) sublatae sunt, causaeque neoacquisticae in forma solemnis ordinarii processus pertractandae, ad Tabulam Regiam relegatae habentur, in quibus tamen etiam praevis via instantiae ad Regem recurrendum est (e).

(a) *Cit.* 1655 : 53. (b) 1687 : 7. 1715 : 9. 60. et *Cur. Dec.* (c) 1715 : 10. (d) 1741 : 21. (e) *Cit.* 1741 : 21. et *Cur. Dec.*

Errata

corrigere

| Pag. | lin. | Errata | corrigere |
|------|------|-----------------------|---------------|
| — | 94. | 22. regula | regulamento |
| — | 115. | 10. sententia | sententiarum |
| — | 163. | 25. 24. descendantium | decedentium |
| — | 219. | 7. labescere | labascere |
| — | 224. | 5. haec | hanc |
| — | 252. | 17. quas | deleatur. |
| — | 273. | ult. item | litem |
| — | ead. | ead. litem | lite |
| — | 284. | 15. administranda | administranda |
| — | 312. | 2. authenticare | autenticari |
| — | 318. | 6. competat | competit |
| — | 322. | 25. condigne | condignae |
| — | 333. | 25. prelatoque | probatoque |
| — | 334. | 6. constituit | constituente. |



805

800

[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "L'année", "le 1er", "le 2e", "le 3e", "le 4e", "le 5e", "le 6e", "le 7e", "le 8e", "le 9e", "le 10e", "le 11e", "le 12e", "le 13e", "le 14e", "le 15e", "le 16e", "le 17e", "le 18e", "le 19e", "le 20e", "le 21e", "le 22e", "le 23e", "le 24e", "le 25e", "le 26e", "le 27e", "le 28e", "le 29e", "le 30e", "le 31e"]





2017
02
Helsinki
ÄLLAMIGAZGATASI FÖISKOLA K25
0 030100 076940
Palaan 708

6709 426709 410068 426709 410068 41

